



2324















Schola
sis
Paul
Ec
Cont
I. De Scho
vandis
ctoris
comm
158
II. Lection
rum D
III. De Offic
sticæ.
15
V
Impress

Scholæ Flensburgensis Administratio.

Rectore

Paulo Sperlingio Eckerenfordensi.

Continentur hoc libello.

I. De Scholis, & constituendis & conservandis Oratio: habita tùm, cùm Rectoris munus PAULO SPERLING, commendaretur: XVIII. Iulij Anno 1586.

II. Lectionum & Exercitationum classicarum Designatio.

III. De Officijs Discipulorum Leges Scholasticæ.



15 89.

VVITEBERGAE
Impressa à Matthæo VVelaco.



Rever
SIN
M. S
pra
M. T
M. H
VERB
Flensburg
simis, &
ptorib
ri

M. PA
Schol



ctoris m

Reverendis & Clarissimis viris,

M. Sebastiano Schrödero, præposito,

M. Thomæ Scattenbergio,

M. Henrico Joannis,

VERBI DIVINI APUD Flensburgenses Ministris fidelissimis, & Scholæ Patronis, Præceptoribus suis & amicis plurimùm colendis:

M. PAULUS SPERLING, Scholæ Flensburgensis Rector, S. P. D.

Postulastis à me Reverendi viri, Præceptores, & amici colendi: cùm Rectoris mihi munus demandare-

 tur:

tur: ut orationem eam, quam tum temporis de Scholis, & condendis & conservandis habebam, in lucem ederem: simul etiam, quæ ratio sit erudiendi pueros & exercendi hanc ætatem in Schola nostra, exponerem.

Non potui hanc operam vobis negare: cùm ob vestram in me authoritatem: tum ob meam erga vos observantiam.

Itaq; laborem hunc suscepi: molestum illum quidem: sed tamen Scholæ nostræ, uti tum sperabam, & adhuc spero, non inutilem. Sed ecce: cùm ad calcem iam perducta res esset: &

exem-

exemplar typographo, ut typis describeretur, transmissum: nescio quonam fato meo, Mompelgardi istud, à militibus gallicanis, combustum fuit: si vera modò Typographus retulit.

Parva iactura, dicet aliquis, fateor. Parva sunt enim hæc & facilia: neq; ego pro magnis aut reconditis vendito. Sed tamen quæ homines eruditissimi, & in erudienda Juventute exercitatißimi, multis annis observarunt, observata aliis communicarunt, ea me qualicunq; modo illustrasse: & ludo nostro literario accommodasse,

nunquam pigebit: vel eam maxime ob causam: ut sciant alii, qui in nostrum aliquando locum succedent: quam nos rationem secuti simus: & habeant, vel quod imitentur, si probabunt: vel emendent, si improbabunt.

Et sanè latere hæc ego libenter passus fuissem. Suppudebat enim me interdũ, fateor, in vulgus hæc efferre: & pusilla, & obvia nimis, & protrita: & ab aliis toties inculcata. Verũ quia denuò instatis & urgetis, agedùm morem postulatis vestris geramus: & sortem denuò experiamur.

Quamobrem, meliori ut auguror omine, chartas veteres recollegi: & ex iis qualiacunque hæc quæ videtis cōcinnavi. Classes descripsi: officia distribui: exercitationes & pensa singularum classium indicavi: docendi rationē talem monstravi: qualem Præceptores meos Argentinenses secutos memini: & qua ego me profecisse, atq; eruditum fuisse, cognovi.

Neque enim meliorem adhuc invenire apud alios potui: neq; melior, ut opinor, à quoquam inveniri facilè poterit: si modò rectè intelligatur: & ido-

neos Magiſtros aſſequatur: cùm ad veterum illa Græcorum & Romanorum, ſi non facultatem, at certè facilitatem & conſuetudinem, accedere proximè videatur.

Neque verò putandum: vel Gallos, vel Italos, vel Hiſpanos, iſthæc quidem aſſequi poſſe: noſtros verò pueros & adoleſcentes aſſequi non poſſe. Cur enim non noſtris idem, quod illorum conceſſum ſit ingeniis? aut cur nos minus, quàm illi induſtria conſequi poßimus? Nam quod illis nos hominibus doctrina cedimus: magis id ſit vitioſa inſtitu-

stitutione, & ignavia nostra: quam naturæ facultate. Cuius bonitas ut Dei donum est: ita in omnibus sese terris exserit. Omne enim ingenii lumen â Deo est: qui humanæ mentis est illuminator. Huius ergo in nos benignitatem cur negemus? aut, quod aliis tribuit: cur nobis eundem tribuere, & posse, & velle, desperemus? Sed nimiùm apud illos artium tradendarum ratio certa est: & aperta: & brevis, apud nos, varietate vaga: obscuritate difficilis: diuturnitate iniucunda. Hinc illæ lachrymæ: hinc querelæ: quod &

multitudine, & prolixitate, & ſubtilitate, noſtra de principio debilitamus ingenia.

Ipſos ego vos teſtes facio, Viri clariſſimi. Ipſi vos omnes Scholas ante rexiſtis: ipſi periculum rationis huius feciſtis: ipſi probationibus noſtris Scholaſticis tertium iam annū, quo Scholæ præſumus, interfuiſtis: ipſi, quid in unaquaq; diſcant curia pueri, animadvertiſtis: ipſi vidiſtis: quantùm puerilis poſſit ætatula tollere, portare, perficere: ſi præmonſtratorem habeat idoneū: ſi nitatur, ſi imitetur, ſi æmuletur: ſi nihil negatum putet, ingenio, exercitationi, induſtriæ. Quod ſi

enim ea, apud pueros Sex Septẽve annorum, adepti sumus, quæ volebamus: & quæ ἀδύνατα esse nonnullis videbãtur: quid deinceps metuendum sit non video: quo minus eadem aliis in ætatibus & maiora longè adipiscamur, quæ ab ipsis quoq; requirimus: si modò desit inertia: & ignavia nobis non officiat. Quæ cùm ita sint: quẽadmodum vos à me postulastis, ut hunc in me laborem susciperem: sic à vobis ego vicissim peto: ut, si methodus isthæc placeat, deinceps eam in Schola vestra retineatis: et Magistratui nostro atq; Scholarchis commẽdetis: neq; libros & autores

veteres temerè commutari sinatis: si modò cavere vultis incommoda: quæ à barbara & indocta doctrina solent oriri: retinere verò ea: quæ ad recuperandã veterum illorum, quos plena collaudare manu solemus, docendi, disputandi, dicendi, scribendi facultatem sunt accommodata.

Sed quid ego hæc ad vos? quorum voluntatem, studium, curam, fidem erga Scholam nostram, cognitam satis perspectamq́; habeo. Valete, Viri clarißimi: amici optatißimi. Flensburgi, Anno recuperatæ Salutis, 1589. Calend. Iulii.

DE SCHOLIS,
ET CONSTITVENDIS ET CONSERVANDIS,

Oratio.

DEmoſthenem ferunt, Auditores Reverendi, Clariſsimi & Doctiſsimi, ſummum illum Reipub. Athenienſis Oratorem: cùm legatus olim in Macedoniam miſſus eſſet ut coram Philippo Rege de pace cauſam peroraret; adeò Regis conturbatum aſpectu fuiſſe: vt repentè & ingenium ipſum, & vox omnis atq; oratio deficeret. ita quidem, vt niſi Aeſchines cæterique, qui aderant è Repub. legationis ſocii, dicendi in ſe partes ſuſcepiſſent: infecta re, cum dedecore & infamia diſcedendũ fuiſſet. Idem mihi, in hoc lectiſsimorum, doctiſsimorumq; virorum cœtu, ne accidat, vehementer ſanè metuo: & cur metuam, cauſas me minimè contemnendas habere, arbitror. Etenim, ſi id prudentiſsimo viro, eloquentiſsimo homini, ei denique Oratori euenire potuit: de quo ipſe ſubinde Philippus dicere non dubitavit: huius ſe unius Oratoris magis extimeſcere fulmina: quàm

quàm omnes, omnium Atheniensium seu arietes, ceu catapultas, ceu propugnacula ei, in quam, oratori si id accidere potuit: ut unius intuitu Principis ita percelleretur: non modò vt exalbesceret: verùm etiam obmutesceret: quid, obsecro, animi, mihi esse putatis Auditores? qui neq; animo, neq; ingenio, neq; doctrina, neq; exercitatione, neq; authoritate denique comparandus omninò cum illo sum. vtpote cui animus à natura datus est pusillus: ingenium minus quàm mediocre: eruditio exigua: exercitatio parua: authoritas ad dicendum planè nulla. Et tamen apud vos dico, Coss. partim amplissimos: Ecclesiæ partim Doctores Clarissimos: Senatores partim prudentissimos: ciues denique ornatissimos: omnes excellentibus à natura ingeniis præditos: à studijs liberalium doctrinarum instructos: vsu denique rerum magnarum peritissimos. Accedit huc: quod alij ad dicendum surgere solent, ad eam sæpe excusationem confugiunt: ut vel necessitate se adductos, vel officio impulsos, dicendi munus non appetiuisse; sed detrectare non potuisse dicant. quam quidem rationem totam, hodierno nobis die, ipsa rei natura conditioque præcludit. Etsi enim nec nos, vltro nobis hanc & dicendi & docendi prouin-

provinciam poposcimus: sed incredibili vestro studio, ad eam vocati sumus: tamen eò rem devenisse video: vt si minus aliqua ex parte, nostra vobis approbata fuerit industria; causa nulla sit: quin omnes accusandam potius temeritatem nostram, quàm sublevandam imbecillitatem arbitrentur. Nam ab eo, qui Rectoris in se munus recipere, huiusq; contingere authoritatem loci audeat: nihil, mei perfectum ingenio, tinctum doctrina, politum arte, elaboratum industria, adferri putant oportere.

Quæ dùm in vos intuens, Viri Clarissimi, & aures vestras tersas atque politas considerans, paulò me cùm perpendo diligentius: eò tandem metu, timore, anxietate progredior: ut vehementer dubitem: utrum dicendi munus à Reverendo & Clarissimo, Dn. M. Sebastiano Schrödero, mihi delatum, cum periculo suscipiendum sit: an verò cum inobedientiæ crimine, & ingratitudinis quadam labecula deponendum. Verùm tamen in hac ipsa dubitatione, id me recreat atq; reficit: quòd Aeschinem quoq; fractum & debilitatum metu erexisse, scribunt Historici. Nam cùm oculis: eum serenissimis, placidoq; vultu, sæpe Rex Philippus aspexisset: suamq; hoc modo erga

ipsum

ipsum benevolentiam declarasset: ad pertexendum id, quod oratione explicandum sumserat, animo magno perrexisse dicitur. Ecquid igitur causæ est, Viri Reuerendi, Clarissimi & Doctissimi, quin & ego, cùm omnium vestrûm in me ora oculosq; conversos videam: summam mihi de vobis benevolentiam paratumq; audiendi studium polliceri debeam? Vestra in alios declarata humanitate fretus, hoc quicquid est oneris sustuli: majus id quidem quàm ferre me posse intelligo. Quod tametsi perferre non potero: opprimi me onere officij malo: quàm id quod mihi cùm fide semel impositum est, aut propter perfidiam abjicere: aut propter infirmitatem animi deponere. Quamobrem cùm pro laudabili Scholæ vestræ consuetudine aliquid omninò hoc in tempore dicendum sit: cogitanti mihi, & cujus rei causa in hunc locum longè amplissimum ascenderim: & ad quos verba facturus sim, ita prorsus videtur: nullo in argumento meam commodius Orationem versari posse: quàm si de Scholis & constituendis & conservandis, paucula quædam in medium proferam.

Etsi enim his de rebus tantis tamq; vtilibus, minùs me commodè, & ut decet graviter satis, verba facere posse agnosco: (nam commodi-

moditati ingenium, gravitati ætas impedimento est: tamen cùm sapientes Viri, hoc, non aliud agendum; & præsentis quæ sunt vel temporis, vel loci, non aliena, aut remota tractanda moneant: operæprecium me facturum arbitror: si quarum rerum cogitatione unumquenq; vestrum vehementer hoc in loco affici velim, earundem animos vestros commemoratione, excitare coner: meq; ipsum officij, in quo constitutus hodierno die à vobis sum, commonefacere. Qua quidem in re istud mihi cùm primis lætandum esse video: quod cogitationes meas qualescunq;, cùm Reverendi atque clarissimi viri, Dn. M. Sebastiani Schröderi cogitationibus consensisse, sentio. Is enim cùm de beneficijs, quæ Deus urbi nostræ exhibuit & plurimis & maximis, oratione diserta, præclarè disseruisset: inter alia scholarum quoque mentionem fecit; nec inter minima, sed maxima eas beneficia, numerandas esse, contendit. Quæ cùm ita sint: mihiq; ipsa per se delectæ ad dicendum materiæ dignitas, satis magnam factura audientiam videatur: tamen hoc Rhetorum potius lege & consuetudine, quàm quòd ita necessarium judicem, petam à vobis Auditores: ut, quemadmodum illum pulcherrimis de rebus, Oratione quoq; pul-

cherrima, attentis auribus animisq́;, dicentem audivistis: ita & mihi res quidē pulcherrimas oratione non pulcherrima cōpræhendere meditanti: exigui temporis usurá largiri; & attentè bonaq́; cū venia verba mea audire, dignémini.

Soleo sæpe antè oculos mihi ponere Auditores: crebrisq́; apud alios sermonibus repetere: quæ singulis aut gentibus aut civitatibus conferre misericors Deus bona soleat. Quæ quidem qui non agnoscit, excors; qui cùm agnoscit, agnita non prædicat; impius meritò & ingratus censendus est. Nullus enim tantum esse ingenii flumen; tantam dicendi vim tantamq́; copiam; tàm divinum atque incredibile genus orationis arbitror: ut eorum magnitudinem multitudinemq́; beneficiorum, non dico augere, sed recensere: non exornare, sed enarrare posit. Verùm tamen hoc affirmo; & pace dicere vestra Auditores non dubito: beneficia pleraq́; omnia, si unum in locum conferantur, cum unico hoc beneficio, vel præstantia, vel utilitate comparanda non esse: quod pios Deus magistratus excitat: qui Scholas non modò constituendas, verumetiam conservandas; in iisq́; adolescentes educandos pios & doctos existimant: qui velut succenturiati demortuorum in locum succedant: & vel

Reip.

Reip. clauum teneant. vel ad Ecclesiæ gubernacula sedeant: vel alia societatis humanæ munia subeant. Nam & extenuari verbis reliqua possunt: & fortunæ cuidam ascribi: easdemq; amitti posse videntur. At verò Scholarum ea est conditio; ut quæ secum adferunt bona; quantacunq; illa sunt: quæ certè maxima sunt: ea firma maneant atq; perpetua. Non enim furem ullum aut prædonem metuunt: non naufragia extimescunt: non alios casus adversos reformidant. Quin etiam illa ipsa. quæ rerum humanarum domina putatur, fortuna: libenter se Scholis cedere, facesq; submittere: & sine his, non tàm prodesse sua, quàm abesse hominibus bona fatetur.

Est aliquid, & permagnum est, benè nasci: hoc est generosissimis & antiquissimis familijs inseri: valetudine uti commoda, pulchrum: divitiis pollere jucundum: honoribus florere egregium: in pace, otio, tranquillitate, viuere, optandum. Turres porrò præcelsas, templa magnifica, ornatissima prytanea, amplissima peristylia, portus opportunissimos, aliasq; substructiones ingentes & admirabiles monstrare posse, præclarum est: utile est: magnificum est: gloriosum est. Sed tamen eam hæc omnia conditionem habere viden-

tur: ut si pietas absit erudita, vel pia potius eruditio: quæ quo pacto utendum sit his omnibus, non commonstret: nec diuturna nec salutaria verè & utilia esse queant. Longè enim, longè me Christe, præclarius est: prudentes in civitate viros habere: qui, quicunq; tandem venti sint, Reip. navem tenere; eandemq; prudenter regere sciant. Longè utilius: in tanta ingeniorum morumq; non modo diversitate, verùm etiam perversitate, cives habere concordes, pios, moderatos; & magistratuum cùm dictis, tùm edictis obedientes. Longè magnificentius, juris legumq; peritos habere: non, ut ille ait, bonorum extortores, legum contortores: sed qui non juris magis, quàm justiciæ consulti sint: neq; constituere litium actiones, quàm controversias tollere malint. Longè gloriosius, medicos habere fideles: qui cùm adventantes morbos prævidendo, tùm præsentes depellendo, tum futuros avertendo, laborantibus succurrere, ægris mederi, excitare afflictos possint. Quid? Ecclesiæ doctores puros habere: qui de Deo rebusq; divinis homines doceant: adversa conflictantes fortunâ erigant: secunda exultantes frangant: deniq; quemcunq; in animis hominum tempus morum postulat: eum dicendo vel excitent, vel

ſedent: quibus laudibus efferendum: quibus ſtudiis proſequendum: quo loco numeroq; habendum cenſetis? Dicerem iſtud Auditores, niſi divinum hoc eſſet, & incomparabile, atq; ineffabile prorſus beneficium.

At verò, unde nam, quæſo vos, hæc omnia ad nos bona perveniunt? unde? nonnè ex Scholis, tanquam limpidiſsimis quibuſdam fontibus, oriuntur atque demanant? Ex his enim, velut ex equo quodam Trojano, certatim non modo acuti prodeunt Philoſophi: ſed Rerumpub. quoq; Rectores induſtrii: ſapientiſsimi juris conſulti: medici experientiſsimi: cives deniq; omni virtutum genere ornatiſsimi: &, quod extremum atq; ſummum eſt; Ecclesiæ Chriſti doctores veri, ſinceri, ſanctiq, illius divini verbi theſauri, & propagatores, & propugnatores acerrimi.

Quamobrem pulcherrimè D. Baſilius Scholas deſcribens, διδασκαλεῖα eas eſſe ait ψυχῶν λογικῶν θεογνωσίας τε καὶ πασῶν τῶν ἀρετῶν παιδευτήρια. Egregium ſanè, & dignum tanto viro de re tali judicium. Quas enim utilitates Scholæ ſecum afferunt plurimas: eas vir ille ſanctiſsimus univerſas, aut certè præcipuas, deſcriptione brevi complexus eſſe videtur: veram ſcilicet Dei agnitionem:

artium bonarum cognitionem: vitæ atq; morum gubernationem.

Et quidem primus hic omnium Scholarũ finis erat: de Deo homines ut instituerentur. Etenim prima instaurandarum Scholarum laus, Deo Opt. Max. jure debetur. Hic enim, in Lycæo ille pulcherrimo, Paradisi inquam horto, primus ipse docuit: & Adamum discipulum suum, de volutate sua erudivit. Quin & Abrahami nobis Scholam, velut exemplum quoddam gravissimum & antiquitatis plenum, Geneseos in libro proposuit, *scio, inquiens, quod præcepturus sit filijs suis, & domui suæ post se: ut custodiant viam Domini: & faciant judicium atq; justiciam.* O magnificum & honestissimum rei honestissimæ encomium: verbis quidem breve, sed reipsa tàm amplum: ut nemo verbis exprimere satis possit.

Socratem, Plutarchus scribit, obvium aliquando habuisse Xenophontem, Grylli filium: cumq;, ubi nam homines boni fierent, interrogasse. Quod cum se nescire Xenophon respondisset: *Me igitur*, inquit, *sequere: ut hoc discas.* Magna laus & admirabilis: quam Scholæ suæ homo, non hominis, sed Apollinis oraculo sapientissimus, tribuit: Homines in ea bonos fieri. Socratem secutus Plato, in

villa

villa paterna Scholam instituit: eamq; Academiam, quasi ἄκος τοῦ δήμου, medicinam populi, appellavit. Et sunt profectò Scholæ veræ illæ Academiæ: è quibus populus, omne suum ἄκος, ad morborum incursus omnes, veluti ex preciosissimo quodã myrothecio potest depromere Sed quantò illustrior & propè divina hæc est gloria: quam Abrahami Scholæ Deus ille Opt. Max. ipse tribuit: Scio quod &c. Valeat nunc, valeat suo cum gymnasio Socrates: recedat cum Academia Plato: ipse cum Lyceo cedat Aristoteles: hîc, hîc Scholarum nobis utilitas, brevibus quidem, sed illustribus interim verbis significatur: docere scilicet homines: ut custodiant viam Domini; & faciant judicium atq; justiciam.

Absorpsit me æstus Orationis: vt longius provectus sim, quàm putâram. Itaq; vela jam paulisper contraham: contentus iis quæ à me leviter potius indicata, quam explicata fuére. Quod si enim de Orationis conquirenda copia magis; quam de aurium vestrarum fugienda satietate solicitus esse vellem: possem hîc, Auditores, disertus esse: possem temporis illius in habendis Scholis consvetudinem, cum populo Israëlitico, in AEgypti regnum

inductam; & cum eodem vicißim eductam, demonstrare: possem semper Ecclesiæ Scholas conjunctas fuisse comprobare. Sed non faciam: ne cùm memoriæ vestræ, tùm etiam prudentiæ, diffidere videar. Quis enim hoc non videt: quicquid in religione boniunquã fuit: id omne ex Scholis profectum esse? quis non animadvertit? vitem Euangelicam ab Adamo per scholas hasce plantatam; à Nohamo illiusq; posteris excultam; germen tandem produxisse lætißimum: cujus nondum fructus perierunt, nec deperibunt unquam.

Prima igitur hæc, & summa Scholarum est utilitas: quod veram nobis de Deo doctrinam tradunt. Sed non sola est, Auditores, siquidem & artium nos inde bonarum disciplinam adipisci, Basilius noster asserit. Quid enim aliud Scholæ sunt: quàm pulcherrima optimarum artium umbracula: quæ, ut autor gravißimus Xenophon ait, πάντων τῶν καλῶν πηγαὶ bonorum omnium fontes existunt. Vbi enim hi fontes obstruuntur: ibi nullius amplius esse boni scaturigo potest. Flaccescit honestas: exsiccatur pietas: arescit fides: contabescit charitas: occidit religio: nil nisi lacunæ malorum, scelerumq; sentinæ quædam relinquntur.

Erant

Erant quidem patrum nostrorum memoria, inepte quidam religiosi: qui inutiles esse Scholas Ecclesiæ contendebant propterea: quod artium scientia non sit necessaria: cùm literarum sacrarum, & intellectus, & interpretatio, Dei donum sit: nec nisi instinctu S. S. hominibus concedatur. Quæ perniciosa quorundam opinio, si aut locum invenerit: aut patronos & approbatores habuerit: actum erit de religione; actum de literis; actum de vitæ sanctimonia, morumq; honestate erit. Et, quid multis? in pristinam barbariem recidet; ingentemq; Respub. Christiana cladem accipiet. Non ego jam de singulis Philosophiæ partibus loquar: ne illarum quidem artium, quæ in hac Schola vestra traduntur, & logicæ vulgò appellantur; quanta sit dignitas, quanta utilitas, quanta deniq; in Ecclesia Christi necessitas, referam. Nimis enim id longum foret: & alius fortasse de his ipsis dicendi locus erit. Iam verò satis id quod dicimus, & plus quàm satis, majorum nostrorum probant tempora; ubi neglectis Scholis, missis præceptoribus, valere jussis artibus, spreto linguarum studio, innumeri errores & idololatriæ, quas copiosè ante percenseri à Reverendo & Clariss. Dn Præposito audivistis, Ecclesiam Chri-

ſti oppreſſerunt. Teſtatur idem ſeculi noſtri felicitas: in quo, vnà cum Scholis reſtauratis, veritatem puritatemq; doctrinæ cœleſtis luce, quod ajunt, meridiana clarius ſplendere videmus. Non igitur mirum cuiquam videri debet: quod Scholas ad religionem conſervandam, neceſſarias eſſe diximus. Artibus enim ſalvis, ſalva manet religio: iis corruptis, neq; hæc ſalva diu incolumisq; poteſt conſiſtere. Et hinc fato quodam accidiſſe videtur: ut nemo unquam Eccleſiæ hoſtis fuerit: qui non bellum eodem tempore Scholis quoque indixerit.

Iuliani Apoſtatæ, hoſtis illius Chriſtianæ religionis infeſtiſsimi, quodnam de iis, qui Chriſto nomen dederant, opprimendis conſilium fuerit, noſtis Auditores. Cùm enim nulla ratione Chriſtianorum extinguere atq; opprimere doctrinam poſſet: id tanden conſilii cepit, ut edicto caveret: ne ullo amplius Philoſophiæ genere Chriſtianorum liberi, erudirentur. Vidit nimirùm homo impiiſsimus: è Scholis tanquam armamentario quodam inſtructiſsimo, haſtas amentatas depromi: & oratoriis lacertis torqueri, quibus & religio vera defendi; & ethnicorum everti vanitas poſſit. Itaque omni Scholarum aditu Chriſtia-

norum

norum liberos prohibuit. Prudens tyranni consilium: si tamen ulla in re mala locum habet prudentia. Sed longè, meo quidem judicio, prudentiores Christiani: qui ab hoc se instituto depelli non sunt passi: sed quia publicos conventus, ob tyrannorum sævitiam, agere non potuerunt: privatas tamē in ædibus Scholas habuerunt, quod nulla ratione melius & religionem se veram defendere; & idololatriam oppugnare posse viderunt.

Verùm non artium modo domicilia Scholas appellat Basilius: sed & virtutum omnium παιδευτήρια nominat. Vt enim erectæ qui sunt excelsæq; indolis equi: si à primis statim annis in disciplinam domitori tradantur: faciliores evadunt, & ad quemvis usum magis idonei. sin minus: feroces, effrenati, intractabiles prorsus redduntur. Sic hominem, si aut non satis, aut non benè educatus fuerit, omnium ferocissimum pessimumq; futurum: si verò cum natura felici disciplinam rectam assecutus sit, animalium omnium optimum divinissimumq; fieri posse judicat.

Est enim educationis bonæ vis tanta: ut consopitam quasi naturam suscitet: vitiosam corrigat: bonam confirmet: efficiat deniq;: ut quæ in hominis sunt munere atq; officio po-

sita

ſita: & citius, & rectiùs, & faciliùs fiant omnia. An verò à piè prudenterq; inſtitutis Scholis ſi abierimus: ullo alio in loco, educationem meliorem reperierimus? ubi quibus in diſciplinam traduntur pueri, id elaborant: ut nihil oculi eorum videant: nihil aures hauriant: nihil animus cognoſcat: quod à virtute magnorum virorum, à religione Chriſtianorum, à doctrina eruditorum, ab omnium hominum honeſtate ſit alienum. Quid igitur prudens non eſſet is: qui in inquirendo, & inveſtigando vero, diſtrictus diſtentuſq; totus tenetur? Fortitudinem cur non amplecteretur is: cujus aures non niſi de externarum rerum deſpicientia, de magnarum appetentia, præceptis undiq; circumſonant? Iuſticiam in eo quis deſideraret? qui de religione cultuq; numinis divini, de pietate in patriam, amore in parentes, cæteroſq; ſanguine junctos; de fide benevolentiaq; omnibus præſtanda, docetur: & docetur quotidiè? Libidinibus porrò quo ſe pacto dicaret is? qui quantum alii feſtis diebus ludorum celebrandis, quantum intempeſtivis conviviis & ſaltationibus; quantùm aleæ, quantùm pilæ, quantùm aliis voluptatibus tribuunt: tantùm ſibi temporis ad ſtudia recolenda ſumit: itaq; vivit: ut ab illis nunquam

ſe,

se, aut ocio abstrahi, aut voluptate avocari, aut deniq; somno retardari patiatur? Iam verò, quid obsecro virginali verecundia pulchrius? quid hilaritate, comitate, morum suavitate, elegantius? quid vitæ simplicitate atq; innocentia amabilius? Adolescentem apud Poëtam commendat pater, quod facilè omnes perferre ac pati posit: quibus cum vivat, ijs sese dedat: eorum obsequatur studiis: nunquam se illis præponat: ita deniq; vitam actionesq; omnes instituat: ut invisus nemini, acceptus omnibus fiet. Eodem modo Vlyssem laudat Homerus: eumq; πολύτζοπορ vocat: propterea quod ad multorum voluntates aggregare sese potuit. Sed quod ille multis est multorum annorum erroribus consecutus: ut ingeniis sese variis variorum accommodare posset: ubi nam nos, Auditores consequi posse censetis? In Scholis, in Scholis, inquam consequemur. Hæ enim sunt quæ mores agrestes & rusticanos exuunt: politos & urbanos induunt: & quomodo cum tristibus severè, cùm remissis jucundè, cum senibus graviter, cum juvenibus comiter, cum omnibus tamen moderatè sit prudenterq; vivendum, commonstrant. Quas nos virtutes, si non in Scholis addisceremus: quid obsecro nostra hæc vita à bruto-

rum

cum vita differret? differret dico? nonne detestabilior longè futura esset? Etenim instructus armis homo est, prudentia, & ratione, & ingenii solertia: ad quæ improbitas atq; injusticia si accesserit; plus damni, quàm ulla vel nocentissima fera, dare solet: ut non malè dixerit Philosophus, nescio quis: μυριοπλάσια κακὰ ποιήσειεν ἄνθρωπος κακὸς θηρίου. Infinitis partibus plura mala homo malus, quàm bestia intulerit mala.

Sed manifestiora hæc sunt, Auditores, quàm ut longiore opus oratione habeant, aut testimonio. Satis id, satis quotidiana loquitur experientia: testantur Rerumpub. curiæ: fatentur principum aulæ: confirmant Ecclesiarum cathedræ: universa deniq; hominum asseverat societas. Et sanè quanta Scholarum constituendarum, cùm ad singulorum hominum cõmoda provehenda, tùm Respub. totas conservandas, necessitas sit & utilitas: nec mea nec cujusquam eloquentissimi hominis dignè explicari oratione potest: & in tanta explicari temporis angustia potest.

Solent quidem hoc anni tempore, in hortos, quos eleganter instructos locupletes habent, hospites suos exoptatos ducere: iisq; vel surgentium virgultorum silvulas, vel manu

ſua arbores ſatas, aptoq; ad ſpeciem ordine diſpoſitas, oſtentare: vel lilia ſaltem fragrantia, nitentes purpura roſas, flaveſcentem & ad maturitatem contendentem ſegetem, oſtendere. Quoniam igitur & vos, Auditores, ad Orationem noſtram, veluti hoſpitium quoddam, non nimis iſtud liberale, divertiſtis: ne obſecro grave vobis moleſtumq; ſit: ſi, priuſquam primam hanc orationis noſtræ partem, concludamus; ex diverſorio minus opportuno, in hortum vos educamus Scholaſticum: in quo ſi aliquot modò nobis cum ſpacia conficere volueritis: illuſtria omnia, ſuavia atque jucunda omnia, utilia, fructuoſaq; omnia, reperietis. Fingite igitur vobis, Auditores, (ſunt enim liberæ cogitationes veſtræ) fingite vobis hortum quendam amœniſsimum ſciteq; excultum: in eoq; floſculos varios, alios cocco rutilantes: alios niveo candore blandientes: alios vermiculato varioq; aſpectu arridentes: alios alio ſeſe colore commendantes. Interq; hos arbores pulcerrimas, ſuis quaſq; intervallis diſcretas, & in ordinem certum digeſtas, variiſq; pomis refertas: quorum aſpectu nihil ſit pulchrius: nihil odore ſuavius: guſtatu nihil jucundius: varietate autem & magnitudine nihil admirabilius.

Talem

Talem horum cum ob oculos vobis ponitis: anne Scholam quandam benè institutam clasſibuſq; certis diſtinctam, in iiſq; varios & ingeniorum & ſtudiorum gradus videre videmini? Laudant Heſperidum hortos Poëtæ: & hanc præcipuè ob cauſam laudant: quod arbores, non incurvas, ſed rectas; non ſteriles, ſed fœcundas habeant: quarum fructus nullo unquam anni tempore deficiant: ſed mites alii & ad maturitatem jam perducti, matureſcentes alii, alii pubeſcentes adhuc conſpiciantur. Quis verò quæſo eſt: qui eandem Scholarum rationem eſſe non videat? ita quidem: ut non Heſperidum modò, Alcinoivé pomarium amœnitate fructuq; ſuperent: verumetiam aliorum omnium hortos omnes, quos mirari tantopere plenaq; collaudare manu ſolemus, longo poſtſe intervallo relinquant. Etenim in hoc horto literario qui ſeruntur pueri: non illi tortuoſi evadunt unquam, aut vitiis dediti: ſi modò culturæ patientes aures accommodent. nec ſteriles ſunt, ſed frugiferi: cùm non modò ipſi per ſe rectè vivere; verùm etiam aliis inſervire hominibus diſcant. At enim non una eſt fructuum horti hujus, & agelli, conditio: crudi ſunt alii, & diſciplinæ nondum calore percocti: rubentes adhuc alii, parumq;

maturi:

maturi: alii pubentes adhuc & in primum se-seflorem induentes. qui tamen omnes, divinæ aspirante aura gratiæ, ita sese erigunt: ita artium, quasi stirpium, nixi fibris, sensim adolescunt: ut propediem ad maturitatem venturi; fructusq; minimè contemnendos, in omne genus hominum, Rempub. totam, effusuri videantur. unde enim prodeunt tandem, qui loquendi, disserendi, dicendiq; aliis artes explanent? nonne ex Scholis? unde qui naturæ obscuritatem indagent? nonne ex Scholis? unde qui de vita moribusq; informandis mortales erudiant? nonne ex Scholis? unde qui morborum curandorum rationes ostendant? nonne ex Scholis? unde qui legum sinuosa volumina tractent? nonne ex Scholis? unde qui sacros Israëlis fontes recludant: & divinos populo thesauros explicent? nonne ex Scholis? Scholæ enim ingeniorum vera sunt gymnasia: Scholæ artium atque disciplinarum amœnissima sunt plantaria: præclara Reipub. seminaria: firmissima Ecceliæ propugnacula: quibus benè munitis, & ipsa satis munita est Ecclesia: iisdem destructis: & doctrinæ obscurari veritatem, & disciplinæ corruere honestatem: pessum deniq; res, cùm publicas, tùm privatas ire necesse est. Verùm

instituti nostri non est, omnes hoc tempore Scholarum utilitates persequi: & cur nam constituendæ illæ sint, causas omnes demonstrare. Quod facere, auditores, si vellem: dies me certè & sol ille diurnus citius, quàm rerum dicendarum sylva seriesq; desereret.

Diximus ergò de Scholis constituendis, Auditores, & diximus: non quæ rei ipsius requirebat dignitas, aut quæ dici poterant: sed quæ cùm temporis patiebatur angustia: tùm auditorum postulabat conditio. Reliquum est: de conservandis iisdem paucis ut agamus. Quæ quidem pars, non nisu profectò nullo, conatúve facili suscipitur: sed laborem longè maximum desiderat. Nam, quod in re familiari à Poëta traditum est præceptum: id locum hîc quoque non immeritò invenit:

Non minor est virtus, quàm quærere parta tueri.

Incredibile enim est, & tamen verum est: quàm facile nobis, aut depravari possit hoc bonum: aut etiam prorsus eripi. Quò enim quicquam est præstantius; quò utile magis & necessarium; eò acrius oppugnari solet ab adversariis. Ideoq; non potest, non potest, inquã diu, nisi summa adhibeatur cura & diligentia, ut non contaminetur, ejusdem usus retineri.

neri. Quod equidem, Auditores, vt ostendam, non exemplis longè petitis uti necesse habeo, Ante oculos interq; manus sunt obvia nostras. Purissimè majoribus nostris divina voce tradita religio fuerat. Sed eadem paucis post annis ita deformata: ita temporis progressu vitiorum & cupiditatum licentia atque indulgentia labefactata fuit: ut qui locus portus esse putabatur & statio religionis Christianæ fidissima: is pravarum artium sedes, domicilium scelerum, vitiorumq; perfugium existerit. Quid artes liberales, nonne Ciceronis tempore & aliquantò pòst in Italia maximè floruerunt? Eædem non multis pòst seculis, sub Monachorum inprimis regno atq; imperio, ita sunt corruptæ & contaminatæ: ut vix inde ad nostra tempora vetustæ sint elegantiæ restitutæ. Et sanè perpetuò sua, quam inter homines habent, pulchritudine cariturae videbantur: nisi felici hoc nostro seculo, aliqui exorti fuissent maximis ingeniis præditi: qui ad meliorem nos, quod ajunt, frugem revocassent.

Est nimirùm, est hæc natura; cùm rerum omnium bonarum: ut facile adversariorum cupiditate & malitia vitientur: tum præ-

cipuè ut religionis & artium: ſic etiam Scholarum: quæ & religionis & artium bonarum ſunt habitacula. Etenim hoſtis ille humani generis acerrimus Satanas: ut omnis boni hoſtis eſt: ita nulli rei, quàm piè conſtitutis Scholis eſt infeſtior. Videt enim, videt veterator ille aſtutiſsimus: à benè recteq; inſtitutis Scholis, Reip. felicitatem omnem dependere. Hinc curiam virtutem & prudentiam, Iuſticiam & æquitatem tribunal, verùm divini numinis cultum Eccleſiam, lumina & columina ſua civilem ſocietatem totam deſumere. Itaque quas aperto Marte aggredi, oppugnare, deſtruere Scholas non audet: eas inſidioſè per cuniculos, ſuffodere, labefactare, convellere tentat. Nihil ego jam quo pacto animos ſæpe magiſtratuum adoriatur, recenſeo: ut aut non pertinere ad ſe Scholarum curam exiſtiment: aut ignavos, molles, timidos reddi ſpiritus generoſos literarum cognitione affirment: aut doctis viris milites cicatricoſos, venatores, adulatores, præferant. Non parentum quomodo ſe mentibus incautis ingerat, commemoro: ut omnem illis curam de mittendis ad Scholam liberis, evellat. Non de iis artibus, quibus ipſos pueros, qui ad ludos literarios adhibentur oppugnare

ſoleat,

solcat, quicquam dico. Nam de his omnibus sigillatim verba facere si vellem, nova mihi denuò exordienda esset oratio. Hoc saltem dico: cùm nulla re facilius labefieri aut dissipari Scholas posse quàm discordia sciat: nulla in re elaborat magis: quàm ut inter docentes lites serat: contentiones moveat: dissidia excitet: quibus nulla Scholarum pestis esse potest calamitosior. Nota Sallustii est sententia: *Concordia parvæ res crescunt: discordia maximæ dilabuntur.* Id si ulla alia in re, in Scholarum certè conservatione est verissimum: quæ à tenuissimo sæpe ortæ principio, sola eorum qui in illis docebant concordia, in immensum usq; creverunt. Eædem discordia partium ita decreverunt: ut tandem, quicquid nominis habebant, amitterent. Quod exemplis comprobare difficile non esset, Auditores; plena sunt enim Historicorum volumina: pleni Philosophorum commentarii. Sed vetusta recensere, tædiosum est: recentia commemorare odiosum. Et ut odiosum non esset: mens refugit luctu: tamen & meminisse perhorret.

Quamobrem ut contra vim & insidias tàm potentis atq; astuti hostis Scholas tueri; & ad posteritatem quoq; transferre queamus quid porrò faciendum putas, dicat aliquis? Equidem

dicam, Auditores, & dicam breviter: & dicam, uti veterum habere formulæ solebant: quæ sciero, poteroq;.

Primùm igitur cùm non casu, ut fungi, Scholæ nascantur: sed singulari Dei bonitate concedantur: piis illas piorum precibus Deo Opt. Max. commendandas censeo. Solemus, ineunte vere, cùm trepidatio esse solet, ne uredine arbores, syderatione plantæ, rubigine segetes infestentur, supplices ad Deum preces fundere. Neq; id sanè immeritò. Quis enim vestrum est, qui non verno tempori omnium rerum abundantiam atq; copiam acceptam ferendam videat? Etsi enim in æstate demum & autumno fruges fructusq; maturi colliguntur: tamen nisi vernis imbribus ac lepore grato terra laxetur: ea quæ in æstate, & autumno, ubertate magna funduntur, maturitatem consequi suam nequeunt. Non enim, nisi benè floruerint segetes, erit area dives: Nec nisi benè floruerit vinea, Bacchus erit.

Quantò igitur magis pro primo hoc puerilis ætatis rogandum est plantario: ut quæ verè & Ecclesiarum traduces, & Reip. propagines, & lectissimam civitatum segetem continet: quæ flos deniq; est fructuum illorum omnium: quos in vita reliqua adolescentum

sunt,

sint, ingenia redditura. Adolescentiæ siquidem studia, ut Ciceroni placet, tanquam in herbis significant: quæ virtutis maturitas; & quantæ fruges industriæ sint futuræ. At enim non orandum solum est: sed etiam operi manus admovenda: siquidem non otiosos, sed facientes Deus adjuvat. Proinde, cùm nutritios Deus Scholarum Magistatus esse voluerit: laborantibus illi Scholis succurrere meritò debent. ut enim vites & arbores, in tempestatibus, fulcris quibusdam opus habent: sic etiã Scholæ, eorum qui cum Magistratui sunt, flagitant subsidium. Est igitur illorum, ludis hisce literariis quasi adminiculo esse: ut nulla illis aura, vel paupertatis, vel discordiæ, vel etiam malitiæ, nocere possit. Et cum nervi sint rerum gerendarum pecuniæ: (δεῖ γὰρ χρημάτων, inquit Demosthenes, καὶ ἄνευ τούτων οὐδὲν ἐστι γενέσθαι τῶν δεόντων omninò pecuniis opus est, nec absq; his administrari quicquam rectè potest) cùm multa sunt præclarè utiliterq; à majoribus nostris instituta: tùm nihil, mea quidem opinione, præclarius atq; utilius: quàm quod viros illi pietate & doctrina insignes, non modò qui adultos in Ecclesia concionibus erudierent: verùmetiã in Scholis juventuti præessent, prudentia magna conquirere, stipendiisq; non parvis alere voluerunt.

Viderunt enim homines prudentiſsimi; quamdiu abſq; liberorum poſteritate eſſe non poſsint: tamdiu liberorum ſibi magiſtros retinendos eſſe; atq; ita retinendos: ut ne quid rerum illis neceſſariarum deſit: quò ſuo vitæ genere contenti: non ad alias, ubi plures utilitates ſunt, rationes vitæ deflectant. Retinendum igitur hoc majorum inſtitutum eſt: nec ſolùm in iis retinendum Scholis, quas nos ipſi aperuimus: verùmetiam, quas à majoribus de manu quaſi in manum traditas accepimus. Nam quod M. ille Cato Cenſorius, vetus agricola monet: cùm filium ad diligentiam, in re familiari augenda excitat; non viri ſed mulieris, ejuſq; viduæ eſſe: aliquid de fortunis à parentibus relictis imminuere: inſignem autem & divinum appellat eum; qui in rationibus plus relinquat quod adjecerit, quàm quod acceperit. id latius omnino patere, & ad agricolationem quoq; Scholaſticam pertinere arbitror.

Videmus, Auditores, hæredes bonos, pluris arbuſculas ſœpe pauculas, à parentibus ſibi relictas, quam ædes magnificè ſplendideq; exſtructas facere. Xerxen quoq; Perſarum Regem potentiſsimum, arborem quandam ob pulchritudinem torquibus aureis & armillis

ornaſ-

ornasse; custodem insuper eidem nobilem addidisse, historicorum omnium antiquissimus Herodotus, prodidit. At, quænam quærat aliquis erat arbor ista? Platanus, Auditores, erat procera, patulisq; ramis diffusa sed infrugifera. Et nos hortos hosce Scholasticos à majoribus nostris plantatos, rebus ornare necessariis dubitabimus: qui ipsi ornamenta sunt Reipublicæ: quòd in iis non una, sed plurimæ nascuntur arbores: quæ non forma modò sunt aspectuq; jucundæ: sed fructus quoq; ex sese & jucundissimos & utilissimos proferunt? Cyrus quidem minor, ut est apud Ciceronem, in eo quem de Senectute scripsit dialogo: cùm Lysandro Lacedæmonio, agrum quendam consceptum, diligenterq; consitum ostendisset: isq; admirans & proceritates arborum, & directos in quincuncem ordines dixisset: mirari se non modò diligentiam: sed etiam solertiam ejus, à quo essent illa dimensa & descripta; exsiliens gaudio respondisse fertur: Ego ista sum dimensus: mei sunt ordines: mea descriptio. Sed non minori credo cumulatus gaudio fuisset: si gloriari Cyrus potuisset: parentum suorum manu arbores istas satas fuisse: quas non deteriores, sed meliores ad posteros propagare conetur. Itaq; si id agricolæ facere boni so-

lent: ut non modò quas ipsi plantarunt arbores: aut in quas stirpes inseruerunt: verùm etiam quas à parentibus suis acceperunt: majori sæpe studio educent posteris suis: quantò magis magistratibus bonis faciendum est: ut non modò quas ipsi plantarunt Scholas, sed etiam quas à majoribus plantatas inveniunt, conservent: ut in iis novæ semper serantur plantulæ: quæ alteri seculo, ut ille ait, prosint: & gratissimam memoriam atque vberrimos fructus relinquant suis possessoribus. Præsertim, cùm voluptatem id & gloriam non minorem, quàm illud alterum pariat. ut enim non minus nobis jucundi esse solent dies illi: quibus conservamur, quam quibus nascimur: ita non minor laus iis debetur: qui præclarè institutas, ab aliis Scholas, à ruina atque interitu vindicant: quàm illis ipsis, qui authores harum primi exstiterunt.

Verùm his missis ad nos porrò venio, collegæ optatissimi: qui custodes quasi & cultores horti hujus Scholastici ponimur. Quid igitur nobis faciendum est: si sartas, quod ajunt, tectas Scholas esse nostras velimus? ulysses ille apud Homerum, cùm errores suos commemorat, inter alia Cyclo-

pum

pum in terram devenisse se ait: ubi nec solum aratro proscindere, nec cylindro æquare, nec vites putare necesse habeant: propterea quod ἄσπαρτα καὶ ἀνήροτα πάντα φύονται, hoc est, ut Horatius noster extulit elegantissimè:

Reddit ibi Cererem tellus inarata quotannis,
Et imputata floret usq; vinea.

At non ea Scholarum conditio est, collegæ optatissimi: sed cultura hic est opus: & cultura opus est diligenti: & majori opus est cultura: quàm ulla in hortis agrisve ullis, institui aut possit aut soleat. Habemus enim in Scholis, quæ seramus, collegæ optatissimi, habemus, quæ plantemus: habemus quæ rigemus: habemus quæ putemus: alia habemus multa: quæ sine labore magno, sudore multo, curis ingentibus suscipere perficereque nequimus. Quippe accipimus à parentibus adolescentulos, prope infantes pueros: quasi novellas radices, nullius adhuc manu mansuefactas: rudes, non solùm à doctrina, verùm etiam à majoribus: ut & disciplinam virtutum à nobis primam accipiant: & doctrinam artium atq; disciplinarum adipiscantur.

Horum

Horum nos vitiis plurimis atq; maximis, quæ brevitatis nunc causa silentio lubens involvo, si mederi cupimus: ut mederi certè debemus: si modò horti hujus literarii cultores boni, solertes, fideles esse volumus: quot, obsecro, affligi curis, quas devorare molestias, quantos exantlare labores cogemur? Quorum tamen ne nos aut pigeat aut pudeat, publica persuadere utilitas debet: cujus inprimis viros bonos studiosos esse oportet. Moveat nos illud & viri & Oratoris optimi: *Nihil præclarius aut præstantius ex omnibus rebus humanis: quam de Republica & societate civili benè mereri.* At verò, munus Reip. afferre majus meliusve possumus: quàm si docemus juventutem atq; erudimus: his præsertim moribus atq; temporibus: quibus ita prolapsa est: ut omnium opibus refrenanda atq; coërcenda sit? Moveat illud Prophetæ: *qui docti fuerint, quasi splendor firmamenti fulgebunt: & quid ad justiciam erudierunt multos: quasi stellæ, in æternitate perpetuas.* Moveat illud Servatoris nostri: *Qui, quicquid minimo ex his parvulis factum sit, sibi factum affirmat.* Et sanè si Scholarum dignitas est, utilitasq; tanta: ut nemo, nisi in iis politus probè excultusq; fuerit, aut semetipso rectè uti: aut Reipub. atq; adeo aliis omnibus commodare hominibus possit:

sit: quis non eas cura magna, sumptibus non parvis, laboribus licet infinitis, non modò constituendas, verùmetiam conservandas, augendas, amplificandas esse, existimet?

Agite ergo Patres Amplissimi: vosq; quibus cura est Scholæ hujus demandata, Ecclesiæ ministri fidelissimi: præceptores omni mihi observantia semper colendi: non vos mihi cohortandi estis, aut rogandi: sed magis utriq; collaudandi: quod institutum hoc laudatissimum à parentibus vestris acceptum, ad liberos atq; nepotes vestros, optimo animo, summo consilio, singulari concordia propagare studetis. Beneficium hoc, credite mihi, non modò non, qui nunc vivunt, deleri oblivione sinent: verumetiam grata ad celebrandum illud sese convertet posteritas. Pergite saltem ut facitis: & in id toti incumbite: ut illud præclarum Reipub. ornamentum, illud Ecclesiæ vestræ firmamentum, illud sanctissimum juventutis depositum, non violetur, labefactetur, amittatur: sed & severitate disciplinæ, & dignitate doctrinæ, & religionis veræ sanctitate, confirmetur, auggeatur, exornetur. Habuit Schola hæc vestra, annis jam non paucis, & discipulos & præceptores, ingenio do-

ctrina,

ctrina, prudentia ornatissimos. Ex quibus Ecclesiis vestris alii summa cum laude sunt præpositi: alii principum in aulis cum laude versantur: alii ludo adhuc literario operam navant: alii exteris Scholis & Academiis industriam suam comprobant. Magna hæc laus est, Viri Clarissimi: & ita magna, ut haud sciam: an ulla major esse possit. Nam mihi Spartani illius placet sententia: qui muros ferreos esse debere dixit, non saxeos. Magis ista placet, regis sapientissimi: quàm portis asscriptam vestris video: *Turris fortissima nomen Domini*. Ego enim, non tàm armis, quàm prudentia, modestia, & pietate inprimis, Res defendi publicas posse existimo. Anne autem hæ omnes, quas dixi virtutes, è Scholis, tanquam ex fonte quodam publico, in Ecclesiam, in curiam, in domos privatas omnes derivantur? Trojam Poëtæ non prius expugnari potuisse fabulantur: quàm ex ea sublatum esset Palladium.

Proinde sic etiam vos statuite, viri Clarissimi: quamdiu sacrum hoc vestrum, Palladium, Scholam dico & Ecclesiam (non enim divellenda hæc duo sunt: quæ conjungi Deus voluit) in urbe vestra conservabitis: & in his ipsis, per synceram doctrinam & conspiran-

tem docentium atq; diſcentium conſenſum, Chriſtum ducem retinebitis: tamdiu, & muros veſtros ſatis munitos, & ſalvam integramque fore Rempublicam.

——Ad me quod attinet: cum ſingulari Dei providentia, tanta veſtra conſenſione, ad provinciam hanc honeſtiſsimam, & Rectoris in Schola veſtra gerendum munus delectus ſim: tantùm vobis quantùm facere poſsum, polliceor: debita me pietate & obſervantia ſemper vos proſecuturum: operam quoque daturum ſedulò: ne quis veſtrum, meam vel in Schola regenda diligentiam, vel provehendis liberorum veſtrorum commodis ſedulitatem, vel deniq; ſubeundis laboribus induſtriam poſsit deſiderare. Nam quod homini grato, adeoq; omni viro bono faciendum eſt: ut non ad otium ſed negotiū natum ſe eſſe credat: ideoq; labores nullos fugiat: ſudores nullos extimeſcat. idem mihi in hac propoſitum eſſe provincia, ſtatuam. Itaque nulnullum tempus Patres demittam, neq; diurnum, neq; nocturnum: quin de Scholis noſtris, quod cogitandum ſit, cogitem: quod agendum agam: quod faciendum, id non modo non recuſem: ſed appetam etiam atq; depoſcam.

poſcam. *Nulla res*, ait ille apud Poëtam, *tam eſt facilis, quin difficilis ſit; ſi invitus facias.* Ego verò tam difficilem nullam eſſe ſtatuo, quin facilis fiat: ſi libenter facias, idq; ut in omni re alia, ſic in laboribus quoque Scholaſticis verum puto. Vidi ego præceptores meos ſenio propè confectos, non modò non fugere labores illos & moleſtias Scholaſticas: ſed etiam ſumma cum voluptate perferre. Dicere eoſdem audivi ſæpius: nunquam ſe ſuavius vivere, quam in Schola cum pueris ſi vivant. Abſque his aliquando ſi futuri ſint, vitam ſibi prorſus acerbam fore. Quanquam inter me & illos iſtud intereſt: quod illi quibus rebus poterant iis ipſis ſine moleſtia munus ſuum adminiſtrabant; ingenio, doctrina, uſu rerum, & experientia. Ego verò quò minus his omnibus poſſum: eò magis ſubſidio mihi diligentiam comparare cogor: quæ tametſi quanta ſit, niſi tempus & ſpacium datum ſit, intelligi non poteſt: tamen Deo me benè juvante, conabor, enitar, perficiam: ut dignus omninò eo munere atq; officio videar: quod demandandum mihi, conſentientibus veſtris ſuffragiis, judicaſtis. Sed quid me conaturum aut perfecturum dixi? nos, nos collegæ perficiemus.

Nam

Nam, cùm unus vir nullus vir ſit: & ſemper plus oculi, quam oculus, videant, vos ego collegæ plurimùm colendi appello: vos rogo & oro: ut veſtra mihi adſitis opera: & diligentia atq; concordia veſtra laborem noſtrum ſublevetis.

Etenim ſic à majoribus accepimus: nullam neq; juſtiorem neq; graviorem neceſsitudinis cauſam reperiri poſſe: quam conjunctionem ſortis, quàm officii, quàm publicam muneris ſocietatem, quam quidem tanti olim viri fecerunt clariſsimi: ut privatas ob eam ſimultates deponere non dubitarint. Laude enim digniſsima vox illa eſt Themiſtoclis, Athenienſium Imperatoris præſtantiſsimi: qui, cùm bellum contra Perſas, cum Ariſtide ſummò adverſario gerere deberet; data dextera, Inimicitias, inquit, hîc deponimus, communemq; rem agimus: donec bellum adverſus Perſam confecerimus. Et nobis belligerandum eſt, collegæ optatiſsimi: reſtant bella; horrida bella. Non enim eſt, non eſt nobis certamen, cum ſcelerato homine atque nefario: ſed cum immani tetraq; belua, cum barbarie nobis pugnandum eſt: quæ ſermonis latini puritatem, veritatem, elegantiam, in adoleſcentibus noſtris corrum-

pit: & efflorescere nunquam permittit. Hæc quoniam ope operaque & vestra & antecessorum vestrorum, in foveam incidit, teneatur, prematur, urgeatur, obruatur: ut hac oppressa, tandem aliquando efficere aliquid possimus: quod & nobis honori, & adolescentibus nostris utilitati: & Reipub. emolumento esse possit maximo. Omnes olim civitates doctrinæ præstantia Atheniensium civitas superabat. Disciplinæ contra laudem Massilia semper obtinebat. Nos igitur, si vel doctrinæ gloria Athenis pares esse non poterimus: vel disciplinæ severitate æquare Massiliam: utramque tamen, quantum possumus, æmulari studeamus. Et tametsi in artibus nos humilioribus consistamus: viam tamen adolescentibus ad altiora ostendamus. Certi sunt enim gradus eorum, quæ præclara sunt, & laudabilia: iisque ad summa contendendum est: tametsi pervenire fortassis ad ea non liceat.

Nam & à magnis atque excellentibus vinci, aliqua in parte felicitatis poni solet: & in secundis tertiisque consistere præclarum est iis: primas qui sequuntur. Quamobrem capita saltem, collegæ, jungamus: eorumque, de quibus dixi, vestigiis insistamus: idem ve-

limus

limus: idem sequamur: idem consectemur. Et quod ille apud Comicum in re mala ait: id nos in bona faciamus: nimirùm mutuas tradamus operas: ut si singula assequi non possumus perfectè: mediocriter tamen assequamur singuli singula. ut ita quod singuli non habemus, universi possideamus. Hoc si fecerimus, animadvertetis collegæ optatissimi: & paucis mensibus, imò hebdomadis paucis animadvertetis: quantos & nos ipsi & discipuli nostri in studiis queant progressus facere: si ita studia nostra communicabimus: ita labores distribuemus: ita horarum spacia distinguemus: ut omnia via & ratione modoq; bono perficiamus.

Quod ut fiat, Deum ego immortalem, unà cùm Filio & Spiritu S. supplex precor: ut quoniam in extrema hac effœtaq; mundi senecta, hortum sibi inter nos literarium condidit: eiq; patronos, prudentissimum hujus urbis Magistratum, & sanctissimum Verbi sui Ministerium addidit: eundem etiam in posterum propter nominis sui gloriam defendat, tueatur, excolat: mala omnia, quæ nubeculæ instar paulatim ascendere, tempestatesq; minari graves videntur, misericordiæ suæ radiis

dispellat: & à tenellis hortuli nostri germinibus clementer avertat. Adsit etiam nobis Spiritu sancto suo: ut quas nos communi opera, studio, labore, plantulas serimus: ipse riget, foveat, augeat: ut in hac ætate, cui nos præpositi sumus, efflorescant: maturescant in superioribus: fructus tandem edant uberrimos: in judicum & senatorum subselliis: in templorum suggestis: in Scholarum Cathedris: in principum regumq; cancellis: in omnibus denique Christianæ Reipub. locis.

D I X I.



LECTIO

LECTIONUM ET EXERCITATIONUM CLASSICARUM Designatio.

De Classe Sexta, seu infima.

Caput I.

GYmnasium nostrum totum, temporis causa, sex in partes, quas Classes, aut Tribus appellare licet, distribuemus. Et in Sexta quidem Classe eos collocabimus: qui nec legere possunt ipsi: nec per se quidquam cognoscere.
I. Tales igitur qui sunt: literarum primum singularum formas, lectionem, pronunciationem, figuras scitè pingendi rationem addiscent. Quod ut assequantur: ipsarum principio literarum formæ adolescentulis propo-

nentur: easq; quod fieri poteſt, amabili linguæ flexibilitate: & ſono non ruſtico, ſed urbano pronunciare ſtatim aſſueſcent. Qua in re vel inprimis, iſtud operam dabit præceptor: ne literæ exprimantur putidius: ne obſcurentur negligentius: ne verba exiliter exanimata exeant: ne inflata & anhelata gravius. Pertinaciter enim hærent, quæ deteriora ſunt: nec in bonum verti facilè poſſunt. Quare videndum: ut prima hæc ætatula maturè ad linguæ informationem dedatur. Nec aſſueſcat puer, nedum infans quidem eſt, pronunciationi: quàm dediſcere deinceps oporteat. Quod ſi qui linguæ quodam laborent vitio: ut omnes nondum efferre literas poſsint: ii placidis verbis corrigendi: præmiolis quoq; & collaudationibus, ſi rectè pronuncient, excitandi ſunt & confirmandi.

II. Literis cognitis ad nominum ſtatim & verborum inflexiones pueri deducentur. Ad has enim cognoſcendas,

das, quàm ad alia intelligenda, promtiorem naturam habent. Quod verò unicuiq; aptum est: quodq; facilimè discit & percipit: ab eo, ex Aristotelis nostri sententia, principium in erudiendo est ducendum. Quamobrem libellum quendam loco Donati, quem vocant, in quo Declinationum, comparationum, coniugationum Paradigmata nuda eaq; generalissima contineantur, primùm legent: dein memoriæ eundem infigent. Vnde duo pueris accedent commoda. Primùm enim dum idem vocabulum casibus & personis commutant: dum primas syllabas retinent, postremas tantùm variant: nullo cum fastidio legendi facultatem consequentur. Deinde memoriæ mandabunt id: quod in superiori classe scire necessarium est: & sine quo cætera, quæ addiscentur, consistere nequeunt. Locum igitur hîc Quintiliani præceptum habeat: *Nomina declinare & verba inprimis pueri sciant. Neq; enim aliter*

pervenire ad intellectum ſequentium poſſunt. Quod admonere ſupervacuum erat: niſi ambitioſa feſtinatione, pleriq; à poſterioribus inciperent: & dum oſtentare diſcipulos circa ſpecioſiora malunt, compendio morarentur.

III. uſus paradigmatum, quæ didicerunt, in vocabulis notis & ſententiolis quibuſdam facilioribus: atq; brevioribus commonſtrabitur. Nam vocabula pueris proponentur quotidiè, earum maximè rerum: quæ in quotidiano uſu verſantur: & quotidiè hominum ſenſibus obverſantur: ut quæ ſunt in culina: quæ ad cœnam aut prandia adferuntur: quæ in hortis naſcuntur: quæ in Scholis & Bibliothecis uſurpantur. Qua quidem in re modus hic ſervabitur: ut minoribus ſingulis ſingula demandentur vocabula: majoribus ſingulis bina, non eadem, ſed diverſa: ſub eodem tamen rerum genere poſita. Id enim incredibile eſt: quàm & intelligentiam illuſtret: & memori-

am puerorum ſtabiliat. Quin & hæc modi hujus erit utilitas: ut non unum quiſq;, ſed multa ſingulis diebus diſcere queat vocabula: atq; ita non oneretur: ſed tamen locupletetur. Etenim ſi uno eodemq; die, in una curia, unus puer ſciat, verbi gratia, Quid ſit liber: alter quid penna: tertius quid atramentum: & ſic deinceps: Hac ratione retenta, paucorum menſium aſsiduitate, diſcipuli magnum quæſtum facient: & vocabulorum copiam magnam acquirent: non modó eorum, quæ ipſi didicerunt, verùm etiam, quæ reddi ab aliis audiverunt. Accedit huc: quod cùm ſuum ſcire vocabulum neceſſarium ſit, alterius honorarium: Si de iis quæ aliis commiſſa ſunt, interrogatus puer reſpondeat: incitari laude ad majora poteſt: ut ita & ipſe præceptoris præconium tanquam præmium quoddam induſtriæ ſuæ mereatur: & reliqui diligentia unius ad ſedulitatem majorem excitentur.

Sed uſitata hæc ſint vocabula oportet, non antiquata: nec longa, ſed brevia & facilia: quæ vocabulo Germanico uno exprimi poſsint: inprimis verò latina, non barbara. Etſi enim pueri, quid latinum ſit aut barbarum, judicare nondum poſſunt: tamen ut nutrices bonæ, in ſua quæq; lingua, cum lallare infantes docent, non barbaris ſed puris, ſi poſſunt, & uſitatis verbis utuntur: ita puer in lingua Romana, ex præceptoris ore, tanquam nutricis, eorum accipiat ſonum verborum: quæ uſitata ſunt & eo uſurpata ſeculo: quo maximè florebat Romæ eloquentia: hoc eſt: quæ ex Ciceronis potius & Terentii myrotheciis, quàm Sophiſtarum lacunis & barbarorum Scholis profecta. Tenaciſsimi enim ſumus natura, ut Fabius inquit, eorum quæ rudibus annis percepimus: ut ſapor quo nova induas durat: nec lanarum colores, quibus ſimplex ille candor mutatus eſt, elui poſſunt,

Ad sententias quod attinet, eligendæ sunt eæ: quæ ad utilitatem aliquam vitæ, & ad mores, atq; disciplinam pertinent: quæq; vel singulis membris comprehensæ sunt, qualis est illa: Sapientiæ initium timor Domini: vel quæ binis absolvuntur membris, ut: Amaræ quidem studiorum radices sunt: fructus verò dulcissimi. Et in his opera danda: ut, quod nos in iis quæ adduximus, conati sumus, Inflexionum, si fieri potest, ordo servetur.

Id enim memoriæ pueri conferet maximè. Longiores verò ambitus superioribus sunt classibus relinquendi. Cùm enim scientia in hac ætatula exercitatione quotidiana & continenti, non artis demonstratione comparanda sit: omnis in hoc principio vitanda est obscuritas: omnis verborum prolixitas.

IIII. Verùm ne rudes omnino earum rerum, quæ in superiori tribu tradentur, existant; legere hîc quoq; Gram-

maticæ Philippi præcepta non omnia, ſed faciliora incipient: ut præcognita quodam modo habeant: quæ memoria tenere in Quinta claſſe cogentur.

Inſtitutionem præterea Chriſtianæ religionis addiſcent. Sed ſatis de principio erit: Si ejus, quod domi â parentibus didicerunt, in Scholis non obliviſcantur. Poſtea quod deſit, id & privatim à pœdagogis, & in Scholis à Præceptore iis addi horis, poterit: quæ recitationi huic ſunt conſtitutæ.

Nam & tabulas legis ambas, & Symbolum quod vocant Apoſtolicum, & cæteras Catecheticæ doctrinæ partes, abſq; explicatione addita, minores tenebunt. Qui verò majoris profectus ſunt: explicationem D. Lutheri recitationi ſuæ ſubjungent. Quod ſi patria facere lingua poſſunt: non opus eſt Latina puerilem adhuc onerare, induſtriam: cum ſat precetur benè: qui materna lingua benè ſatis precatur.

V. Commune hoc illis cum cæte-

ris

ris classibus erit; ut recitationibus inter se hebdomadis singulis certent: iisq́ de rebus disserant: quas Septimana tota audiverunt: & à præceptoribus didicerunt.

VII. Deniq́ scribendo sese, & literis tàm latinis quàm Germanicis pingendis, exercebunt: & scripta bis de die præceptori exhibebunt: qui vitia in illis præcipua corriget. Versus verò, qui ad imitationem scribendi proponentur, non otiosas velim sententias habeant: sed honestum aliquid monentes. Prosequitur enim hæc memoria, ut Quintiliani verbis rursus utamur, in senectutem: & impressa animo rudi usq́ ad mores proficiet. Libellos autem ad hanc rem binos habebunt singuli: unum, qui præceptoris archetypa: alterum, qui illorum ad præceptoris exemplar conformata antitypa contineat. His tertium addi volumen poterit: in quo formas iuflectendi notabunt: quas ad imitationem paradigmatum in libel-

lo, de quo ſuprà dixi, contentorum ipſi compoſuerunt.

Vt ergò rem pauciora in capita conferamus: Primus labor in legendo ſit: alter in inflectendo: tertius in congerendis vocabulis & ſententijs: quartus in ſcribendo: quintus in Catechiſmo ediſcendo: poſtemus in συζητήσεσιν & colloquijs. Horum omnium theſaurus eſt memoria: quæ vel maximè in hoc ordine poſtulatur. Nam ejuſcemodi hîc præcepta ſunt, quæ traduntur: ut omnia teneri memoria eáq; perpetua debeant.

Quamobrem duæ hîc inprimis præceptoris virtutes requiruntur: Diligentia & prudentia. Diligentiæ eſt: nullum diem intermittere, qua non vel hæc tradat, vel repetat: & quotidiè ſecundùm Apellis præceptum lineas ducat. Prudentiæ eſt, non plus properare, quàm puerorum vires patiantur: nec plus ediſcendum injungere, quàm recordandi vis ſuſtinere poſsit:

crebrò verò, quæ tradita sunt, ad memoriam pueris revocare: præsertim difficiliora. Id quod optimè interrogando fiet: cujus duplex institui ratio poterit: Vna, si præceptor ipse interroget, voce clara, ex loco aliquantò remotiori: & puer contenta voce respondeat: ut ab omnibus etiam extremis exaudiri posit. Altera, si pueri ipsi sese interrogent: & sicubi erratum est, seipsos invicem emendent. Ita fiet, ut velut in Musica simul & canunt, & audiunt omnes: ita hîc omnes pueri, aut interrogent, & respondeant: aut simul audiant quæ interrogentur & respondeantur. His igitur jactis fundamentis, ad sequentem classem prima studiorum progresio primaq; industriæ exercitatio fiet: sed priusquam hæc, de quibus diximus, præstare pueri poterunt: in altiorem transferendi classem non sunt. Sat enim citò fit: quòd sat fit benè, & si usquam alibi, hîc certè noxiæ Dædali sunt alæ.

DE

De Classe Quinta

Caput II.

POsteaquam his, de quibus locuti sumus, exercitationibus educatus in Sexta puer fuerit, ad vicinam progredi classem poterit: in qua plura, quàm in infima illa, cognoscet.

I. Primùm autem, & in hac, & in cæteris curiis omnibus, præceptum esto: ut ante omnia in memoriam pueris revocentur ea, quæ in proxima classe didicerunt: operaq; detur, ut nihil horum oblivioni tradantr. Videndum etiam: ut non modò res partæ retineantur & conserventur: sed augeantur etiam & amplificentur. Quod ut fiat, nihil hîc prorsus immutetur: eadem præcepta, iidem libri, idem interrogandi modus retineatur.

II. Sed ad Etymologiæ præcepta secundo loco quod attinet: majores hîc quàm in inferiori curia progressus fiant.

fiant. Quamobrem quæ legere Grammaticæ præcepta in Sexta didicerunt: ea hîc memoriæ mandent: ad inflectendi nomina & verba rationem, reliquas orationis partes adiiciant: & singulis partibus suas definitiones, & partitiones, & accidentia attribuant: declinationes nominum discernant: genera distinguant: sed regulis saltem, non autem exceptionibus. Ita fiet; ut præceptor brevi temporis intervallo, absque fastidio, Grammaticam pueros doceat. Quod assequetur: si necessaria deligat: supervacanea reiiciat: obscuritatem fugiat: perspicuitatem adhibeat.

III. Porrò, ne usus desit, & præceptor exempla habeat: quibus definitiones & partitiones & regulas suas explicet: scriptores præceptis, addendi sunt, quos inter nemo, doctissimorum hominum judicio, Cicerone melior esse potest: primum propter copiam: dein puritatem sermonis latini: tùm, quod exemplum hîc esse potest componendæ

orationis optimum. Cujus rei progy-mnaſmata quædam hac in claſſe fieri utile eſt: ut poſtea indicabimus. Elegit ad hanc rem pro Schola quondam Ar-gentinenſi libros tres, ex omnibus E-piſtolarum voluminibus, Iohannes Sturmius, præceptor noſter: quem ho-noris cauſa nomino: quemq; tanquam optimum hujus rei Magiſtrum in mul-tis, me ſequi non diſsimulo: in quibus, non quid doctiſsimum ſit, ſpectavit: ſed quæ maximè idonea huic ætati eſ-ſent, congeſsit. Quos ille libros tanti facit: ut dubitet an quicquam ſit quod utilius à principio proponi poſsit. Ex his, itaq; librum primum præceptor in hac curia interpretabitur. Atq; ita pro-perabit: ut neceſſaria non prætereat: ita commorabitur: ut nihil niſi in hac claſ-ſe neceſſarium exerceat. Inprimis verò laborabit: ut & promptè quæ expoſita fuerunt repetere: & ad ſua artis Gram-maticæ loca unumquodq; verbũ pueri queant reducere. Neq; tamen exactè

requi-

requiret omnia. Sed quædam superiori proximæ classi relinquet: si aliquid difficultatis habeant: quam hæc curia ferre non possit. Omnia enim uno tempore, & absq; ordine, vel docere, vel discere velle, adolescentum summa est pernicies. Ciceroni ejusdem Ioannis Sturmii Neanisci copulari rectè poterunt: cùm ob easdem causas: tùm verò maximè, quod verba continent & phrases earum rerum: quæ oculis obviæ sunt quotidie. Catonis quoq; seu Ausonii, ut putantur, disticha non sunt negligenda: non quidem ob verba & phrases: quas meliores ex Cicerone habere possumus: verùm ob præcepta quæ continent morum utilissima. His quæ desunt, ex Ovidio, Catullo, Tibullo, Propertio sunt addenda: sed cum judicio seligenda: ut prætereantur impudica & difficilia: eligantur pudica & facilia. Quin nec nostri prorsus seculi poetæ sunt contemnendi: ea tamen cautione adhibita; ne quid in pueri au-

res atq; animum intret: quod non ſit pi-
um: quod non latinum: quod non ele-
gans: quod non liberale. Verùm & hæc
& ipſum Ciceronẽ memoriter recitare
poſſe perutile eſt. Ita tamen ut ſuble-
vetur memoria pueri, præceptoris pru-
dentia: neq; prius fatigetur, quàm res
benè interpretando & repetendo co-
gnita ſit: & ad intelligentiam ſæpius re-
vocata.

IIII. Quartò: Quoniam fundamen-
ta in hac claſſe latini ſermonis poni vo-
lumus: non ſolùm quid ſingula ver-
ba ſignificent, pueri cognoſcant: ſed &
conjuncta quam habeant poteſtatem
conſiderent. Verbi gratia, in inferiori
claſſe quid domus, quid lectus, quid æ-
dificare, quid ſternere ſit didicerunt.
Hîc verò quid ædificare domum, quid
ſternere lectum ſit, intelligant. In infe-
riori Claſſe, quid anguiculi, quid ana-
ticulæ, quid merulæ, quid veſpæ ſint
cognoverunt: in hac claſſe, ſerpere an-
guiculos: nare anaticulas: evolare me-

rulas:

rulas: aculeis uti vespas cognoscant: & ipsi brevibus loqui sententiis incipiant, postulando, mandando, interrogando: tametsi cur ita loquendum sit, nondum sciant. Neq; enim putandum est: difficiles hos conatus esse: priusquam construendæ orationis rationem, hoc est, Syntaxin didicerint: cum patrium sermonem infantulos prius usurpare videamus: quam didicisse se eum sentiant. Et olim Romani pueri & Græci, prius loqui à parentibus, nutricibus, æqualibus, discebant: quam ex Grammaticis, quamobrem ita loquendum esset, ut loquebantur, didiscent.

V. Quintò, Et disputationes, de quibus diximus, hic retinebuntur: & vocabulorum recitationes: & ex Catechismo, quæ in Sexta curia Germanicè pronunciarunt: de iis latinè hic respondebunt: idq; memoriter, remoto libro: non modò sententiis, sed verbis

quocq; retentis: ne libertas hæc puerum delectet: eacq; in superioribus uti ordinibus cogitet.

VI. Porrò cùm nemo sit: qui non Camænas potius amænas, & Musas canentes, quàm tacentes amet: in Musicis omnes exercebuntur. Etsi enim vel viro digna hujus artis est & cognitio & usus: tamen nisi à pueris condiscatur: & vox ipsa, tanquam anima hujus artis, non excolitur: & à grandioribus serò cognoscitur.

VII. Postremò, ubi confirmati nonnihil hac in classe fuerint: analyses scribent: eorum tamen saltem præceptorum: quæ didicerunt. Nam styli exercitatio ab hac ætate, nondum postulari posse videtur: præsertim cùm primùm in hanc transferantur curiam. Officium facient: si loquendi formulas, generibus, casibus, modis, temporibus, &c. commutare poßint: & quotidianæ consuetudini accommodare. Attentari tamen posterioribus mensibus stylus

poteſt: cum in altiorem tranſcendere claſſem cupiunt; idq́ue propterea: ne rudes, ut antè dixi, earum ſint rerum, quæ in ſuperiori tribu tradentur. Itaq́ue rationem conſtruendæ orationis in poſteriores menſes præceptor differet: & regulas ſaltem breviores, uno alteróve exemplo addito, eoq́ue non nimis longo ſed brevi, claro, aperto, tradet. Atq́ue ita puer, propoſitus ſermone quotidiano ſententias, formis commutare latinis aſſueſcet. Sed in verbis hoc tantùm & ſententiis fiet brevioribus. Verbi gratia: Proponat ſententiam præceptor: Deum cole. Hîc puer aliud nomen vel verbum eodem caſu eodemve modo ſubſtituat: atq́ue ita τὸ ὅτι diſcat: tametſi τὸ διότι in omnibus neſciat. Verùm non ſatis ſit, Verba & ſententiarum formas voce indicare præceptorem: in tabula ſcribat; vel interrogando, experiatur: quantum poſsit puer: priuſquam calamum eum in manus ſumere jubeat. Eadem enim verè ratio

in ſtylo eſt, quæ in Muſica. Vt igitur cantare diſcipulus non poteſt: niſi præceptoris prius præcantatione adjuvetur. Sic ſcribere puer nunquam rectè diſcet: niſi præceptor & voce & ſcriptione præeat: non ſecus ac nutrices; quæ, ne nocere infantis ventriculo cibus poſsit, eundem præmaſticant. Facilitatem quoq; ſtyli adjuvabit: ſi diligenter præceptor conſideret: quæ puer in primis illis quaſi infantiæ cunabulis, in curia Sexta didicerit: & quæ inde nomina & verba ſecum attulerit. Adhæc enim accommodare ſententias emolumentum magnum & facultatem & facilitatem adferet. Neq; hîc properandum nimis eſt: ſed lentè feſtinandum. Quod ſi fiet: & in curiis inferioribus firma poſita fundamenta fuerint: facilius reliquum opus exædificabitur.

De

De Classe Quarta.

Caput III.

IN hac Classe primùm ea, quæ in Quinta dedicerunt curia pueri repetent: & pleniora Etymologiæ præcepta cognoscent, hoc est, exceptiones regulis addent. Sed easdem definitiones & partitiones, ne verbis quidem, taceo sententiis immutatas retinebunt. Orationis quoq; latinæ consecutionem, quam Syntaxin nominant, plenius addiscent: ita tamen: ne figuras Grammaticorum omnes scrutentur: sed regulas saltem faciliores tribus quatorve exemplis, iisq; non nimis longis, sed claris & apertis explicatas habeant. Ad quorum imitationem exemplorũ præceptor similia finget: aut ipsos fingere pueros assuefaciet. Parte aliqua Syntaxeos finita, utile erit, in hac classe uno epistolio exempla regularum omnium,

quas didicerunt, complecti. Etsi enim authores, qui proponuntur: omnium quidem regularum exempla suppeditant: tamen docilitati conferet: in una pagella varietatem omnium intueri. Quod ut intelligatur, exemplum addere tale placuit: Planè vir Optimus est Philotimus, sororis tuæ filius: civium suorum longè doctissimus: & quamvis fratrum minor, paterni tamen instituti magis memor: disciplinæ capax: ingenio abundans, integer vitæ scelerisq; purus. Et quid multa? in omnibus patri similis: nisi quod eo & doctior videtur & gratiosior. Nam & artibus & honore clarus est: longeq; ab his alius: qui cùm opus commendatione habent, tùm se commendatione putant esse dignissimos: cum ingenio quidem magni: arte verò rudes existunt. Quo in exemplo regulas de Nominum constructione traditas penè omnes, & eo ferè, quo in Syntaxi Philippi Melanchthonis ponuntur ordine, complecti conati

nati sumus. Idem in verborum fieri Syntaxi potest: uti in una atque altera periodo, præcipuarum rdgularum exempla ob oculos pueris proponantur. Quod si fiat: non est dubium: quin facilè hac in classe puer consequatur: ut & orationis latinæ atque dilucidæ præcepta teneat: & ipse vim aliquam faciendi similia ad superiorem secum classem adferat: si ingenium studiumque non desit: & si rectè hac ratione instituatur.

II. Secundò. Præceptorum memoria & usus, renovatione eorum, quæ in inferioribus cognouerunt ordinibus, confirmabitur: & resolutione quotidiana Bucolicorum Virgilii, & diebus profestis, Evangelii explicatione augebitur. Epistolas quoque Ioannis Sturmii selectas & ejusdem Chrysogonum retinere hac in curia placet: quo puer habeat, quod in Epistolis conficiendis imitetur: unde stylus sumere solet initium. Horum vero omnium tradendorum communis hæc esse ratio potest: ut singu-

ſingulis vel periodi ſingulæ longiores, vel breviores binæ ſingulis ad verbum interpretandæ committantur. Sed iteranda iſta crebrò ſunt: & perſonæ cum rebus, quæ ſingulis commiſſæ, commutandæ: ut ſinguli pro univerſis reſpondiſſe: univerſi verò eadem cognouiſſe omnia videantur. Terentii præterea Comœdiæ explicari non inutiliter hac in claſſe poterunt: ob genus orationis, quod continent familiare & quotidianum. Verùm non diu immorari præceptorem velim: ſed ad verbum ſaltem interpretari. Age verò eaſdem & memoriter recitari à pueris velim, præſertim iis: qui non primùm acceſſerunt: ſed menſes aliquot in hac claſſe, conſumpſerunt. Quam quidem facultatem aſſequentur facilè: ſi decuriis binis aut ternis ſingulæ conjungantur fabulæ. Cùm verò earum perſonarum, quæ pauca loquuntur, facilis ſit ratio: plus verò laboris, qui multa loquuntur, habeant: & hujus rei inveniri po-
teſt

teſt remedium : Si quæ ab uno agenda ſunt, binis, ternis, aut quaternis etiam dividantur : ut in pluribus quidem fabula inchoëtur: in omnibus tamen abſolvatur. Qua ratione fiet: ut paucis menſibus una aliqua fabula à multis addiſci & recitari poſsit : abſq; puerorum labore & faſtidio. Quæ enim obſcuritatem & difficultatem, cùm privatim cognoſcuntur, habent; ea vel actione vel conſuetudine illuſtrantur: Vel præceptoris interpretatione & puerorum collocutione atq; æmulatione ſublevantur.

III. Tertiò. Catecheſin latinam & Germanicã repetent: & quæ in Quinta nondum cognoverunt curia, addent. Ex inſtitutione quoq; Græca tantùm ſecũ ad tertiã claſſem adferent: ut literas nominare poſsint & legere. Quas præceptor illis non ſolùm voce verumetiam ſcriptura in tabula ob oculos ponet.

IIII. Quartò. ut diligentiores, ſponte jam currentes calcari urgeantur: ſe-

niores

gniores ad currendum excitentur: Disputatiunculæ quavis septimana semel instituentur: Quibus eorum, quæ vel in præceptis didicerunt, vel authoribus cognoverunt, recitationibus inter se contendant. Sed disputationes illas, non temerè inter diversarum decuriarum, minus inter diversarum classium discipulos fieri velim: sed inter eos tantum, qui ejusdem sunt ordinis & decuriæ: Quo & confusio vitetur: & æmulatio fiat ardentior. Et, cùm sine præmio ingrata sit Victoria: Superior quidem, si victus fuerit, jacturam loci faciet: Ita tamen, ut postliminii jure agere, novumq; excutere possessorem possit. Inferior autem, etsi succubuerit: conatu tamen laudabili ad altiora se aspirare ostendit. Itaq; tametsi quod affectavit, non impetravit: magnis tamen excidit ausis.

V. Quintò. Analyses scribent, non modò eorum, quæ in Etymologia, verumetiam, quæ in Syntaxi perceperunt:

runt: idq; in septimana non semel, sed sæpius, si fieri potest: Ita tamen, ne quid molestiæ existat aut fastidii. Sed & stylus in manus pueris dabitur: Qui quoniam molestiæ plenus esse solet: Magistrorum industria difficultas omnis sublevabitur.

Sit igitur hoc primum præceptoris officium, ut maturè argumenta proponat: quo quotidiè pueri scribant aliquid: nec omnia in unum tempus differant. Dein patrio & quotidiano sermone proponat: ut non quod inveniant, sed quod interpretentur solum habeant. Tùm argumenta rei notæ sint & apertæ: & vel ex iis, quæ heri aut nudiustertius cognoverunt, petita: vel iis, quæ in classibus audiverunt inferioribus, revocata. Inde enim repetenda nomina, verba, formulæ: ut absq; fastidio pueri scribant: &, unde capienda sint vocabula, & sententiarum formæ cognoscant. Nihil enim ineptum magis est: quam necessaria, quia nota

ſint & quotidiana, reiicere: exercitii verò cauſa proponere ea: quæ cùm à puerorum intelligentia, tùm uſu, longè ſunt remota. Sed & breves ſint ὑποθέσεις illæ, non longæ oportet: & periodi vel inciſim, vel membratim principiò inſtitutæ: vel binis membris vinctæ, vel etiam ternis: ad ſummum quaternis membris incluſæ. Ambitus enim illi verborum prolixi: quos ne intelligentia quidem aſſequi poſſunt pueri, vitādi omninò ſunt: & è Scholis eiiciendi. Porrò ſi quæ rerum adhibuit vocabula præceptor, quæ ignorant pueri, ea nominet: & cum verbo conjungat & loquendi formulam efficiat: ne ipſi pueri, dum quod patrio ſermone propoſitum eſt, latina interpretari lingua nequeunt: & verba, & formulas quærere peregrinas cogentur. Id enim puritatem linguæ corrumpit: ut Perſarum Gazas, Gallorum brachas, Græcorum phalangas, & id genus alia adferant: atq; ita periodum ex variis conſutam

linguis quasi pileum quendam Iaco-
bæum conficiant. Quod ut evitetur,
ὑπόθεσιν à se compositam, si opus erit,
semel atq; iterùm Magister prælegat:
ut puer manu quidem utatur sua, &
stylo suo: sed Magistri tamen voce ad-
juvetur.

De Classe Tertia.

Caput IV.

HActenus ea classium à nobis insti-
tuta ratio fuit: ut, quod inceptũ in
nferioribus, in superioribus continue-
tur & perficiatur: noviq; semper ali-
quid submittatur. Quod enim apes fa-
cere videmus: ut examina sua, cùm tem-
pus est, in novam quasi coloniam eiici-
ciant: idem Præceptoribus est facien-
dum: ut adultiores extrudant: eorumq;
in locum juniores, veluti novam quan-
dam sobolem, substituant: Ita tamen: ut
qui novas quærere sedes volunt, prio-

rum non obliviſcantur: ſed cibum ſecum & materiam deferant: ut, cùm primùm in alvearium novum ingrediuntur, favos queant confingere: & ceram conficere: qua ad coædificandum aliquando ſapientiæ templum adjuventur.

I. Itaq; & in hac claſſe renovanda ſubinde ſunt ea, quæ ante fuerunt percepta: & addenda, quæ in inferiori ordine nondum fuerunt tradita: ut difficiliores Syntaxeos ſimplicis regulæ: ut Syntaxis figurata: ut linguæ Græcæ elementa, quæ præter inflexiones nominum ſimplices, & Barytonorum conjugationem, præcepta quædam faciliora contineant. Et cùm in his, tùm in reliquis omnibus, eandem curam præceptores adhibeant, facilitatis, perſpicuitatis, puritatis, in docendo, interrogando, exercendo: quam in inferiobus adhibere tribubus debent: & videant, ne eorum, quæ audiverunt, didicerunt, egerunt, ſcripſerunt pueri, obliviſcantur.

II. Deinde Ciceronis Epistolæ retineantur, & Virgilii Bucolica, & Odæ Horatianæ aliquot, sed faciliores tantùm: in quibus obscuritatis nihil, acuminis tamen multùm appareat. Non enim omnia possunt, etiam quæ utilia sunt, explicari in Scholis. Itaq; necessaria & optima ex optimis authoribus sunt deligenda: cætera privatis aliquando studiis relinquenda. His comes accedat Terentius: quem patrio pueri sermone interpretentur: eumq; inter se ita distribuant: ut in Quarta faciendum classe dixi: quo non unum omnes meminisse necesse habeant: sed universi, quæ unius sint trimestris aut semestris pensa, sciant: & comœdiam totam voce clara recitent: ut alterum alter exaudiat: atq; ita mensibus ad summum sex, fabulam unam à præceptore benè intellectam domum reportent. Quod si hi non sufficiant: non inutile erit hoc in loco, ex Cicerone speciosos & illustres quosdam locos deligere: eosq; ad co-

gnoſcendum interpretari: ut ſunt Narrationes Verrinæ aliquot: ut commemorationes quæ aliquam laudem aut vituperationem aut ſingularem quendam ordinem habent: ut quidam ſententiarum ambitus, qui ornatum ſummum & figurarum non unum genus habent: proptereaq; memoriæ mandantur utiliter.

III. Tertiò, ut in Græcis quoq; majores progreſſus fiant, fabellæ Græcæ faciliores eligendæ erunt: quas legendo crebrò pueri repetant: ut legere Græcè abſq; ulla impeditione queant. Sed in his idē ſervandum, quod in vocabulis obſervandum diximus: ut non eædem ſemper omnibus, ſed ſingulis interdum ſingulæ demandentur fabulæ. Quas cùm legere didicerunt, deſcriptas præceptori adferent: ut & legendi rationem confirment: & pingendo ſeſe exerceant.

IIII. Quartò. Vocabula non ſingulis ſingula binave proponuntur: ſed ſingula ternis aut quaternis capita. Nam ordine

dine

dine vocabulorum onerare memoriam puerorum necesse non erit. Satis sit, si quod Germanicè præceptor interrogat, latinè efferre discipulus queat. Verùm difficiliores hîc, omittendæ voces erunt: & superioribus classibus relinquendæ: eæq; tantùm eligendæ, quæ huic & loco & ætati conveniunt. Tradenda hic quoq; Arithmeticæ Elementa sunt, sed faciliora: quæ una aliqua hora Septimanæ facilè percipiuntur.

V. Quintò. Communes illis cum vicina classe, de iis quæ audiverunt, συζητήσεις erunt: communis quoq; Catechismi tàm latini, quàm Germanici recitatio. Quem utrunq; cùm memoriæ probè infixerint: tùm præcipuas Examinis Philippi Melanthonis definitiones addiscent: ut & vocabula religionis nostræ propria paulatim intelligant: & cùm hic quædam prædidicerint, multitudine in superioribus non obruantur.

VI. Sextò. Stylus hic non negliga-

tur, ſed confirmetur. Animadvertet igitur præceptor: quantum, priuſquam ad hunc progrederentur ordinem, præſtare pueri potuerint: Et eo in loco incipiet, ubi in inferiori claſſe exercere eos deſiit: eademq; ratione perget. Sed Hypotheſes hic Germanicæ longiores eſſe poterunt: Veruntamen non multis membris, minus multis periodis confectæ. Ideoq; opera dabitur: ut periodi refertæ ſint illis verbis potiſsimum quæ didicerunt: Et quæ in Ciceronis explicatione cognoverunt. Stylus verò ipſe Ciceronianus ſit, hoc eſt, ad imitationem Ciceronis inſtitutus: non ſolùm verbis, verumetiam ſententiis. Hac enim conſuetudine adoleſcens id conſequetur: ut ſimilis ſenſim cum eo facultas coaleſcat: & Ciceronianè ſcribat: Etſi de Cicerone ipſo non cogitet. Non ſecus atq; eos qui legendo ſe diu exercuerunt, legere rectè videmus, & ſyllabas nectere: tametſi præcepta illis in mentem non veniant. Et Poëtas ar-

tificiosum carmen scribere: etiamsi de pedibus non sint solliciti, cernimus: & musicos suaviter, sine singulorum modorum observatione, modulari sæpè audimus. Sed hæc & citius, & facilius, & rectius fient omnia: si, ut suprà quoque monuimus, præceptor compositionem suam prælegat: ut ita habenis præceptoris sui artificiosè discipulus consuefiat. Etsi enim exprimere hanc statim non poterit: tamen sibi non satisfaciet: nisi similia, conficiat: & ut conficiat, enitetur: neque desinet, antequam ad eam perfectionem pervenisse se putet: in qua præceptorem constitisse existimet. Atque hoc unum exercitii genus esse potest. Sed nec alterum inutile erit: Epistolam scilicet aliquam Ciceronis brevem, aut partem Epistolæ longiorem pueris proponere: quàm in patrium primò sermonem convertant: conversam in latinum vicissim transferant. Multas hæc ratio utilitates habet. Primùm enim cum voluptate quadam

conjuncta eſt: quod inventionis labore puerum ſublevat: cujus facultas in hanc ætatem nondum cadit. Dein puritati conducit, atq; efficit: ut formulæ ſententiarum, quibus Cicero uſus eſt, paulatim noſtræ fiant. Ex qua commoditate, tertia conſequitur: quod ambitus à Cicerone, deſcripti intra ſepta compoſitionis concinnæ calamum retinent: & conſuetudine ſcribendi acquiritur id: quod arte difficile eſſet præcipere. Quid quod hæc ratio ad ſtudium & diligentiam pueros excitat? ubi quam propè ad Ciceronem acceſſerint: vel ab eodem abſint procul, cognoſcent. Nam aut iiſdem utentur verbis, quibus Cicero uſus eſt, ſi poterunt: aut melioribus, aut deterioribus. Si melioribus aut iiſdem utentur: laudem & voluptatem conſequentur maximam. Sin vincentur: utile erit ab eo vinci, qui doctiores illos efficere poterit. Accedit huc quod emendandi laborem exercitium ejuſmodi adimit. Neq;

enim

enim à Magistro, sed ab ipso Cicerone se erudiri sentient. Itaque correctorem non requirent: cùm scribendi Magister adsit optimus & præstantissimus. Sed istud in Schola cùm præceptor adest, fieri fructuosum est: ne ignavi à condiscipulo aliquo doctiore sumant: aut ex Cicerone describant: sed proprio, quod ajunt, Marte componant.

VII. Postremò, cum quidam ad lætitiam nascantur pueri, ingenii vi & impetu mentis plurimum valentes: ideoque numerosum orationis genus naturæ quasi ductu sequantur; Poëtarum hîc ars non negligatur: & Syllabarum ostendantur longa, brevia, communia tempora: numerorum & pedum & carminum genera cognoscantur: & illorum omnium exempla pueris proponantur. At verò, dum Etymologiæ præcepta repetuntur, hæc quoque coniungi ratio poterit. Nam neque multis eam tradi necesse est: & si quid deerit, in supe-

rioribus consummari poterit. Praeceptis cognitis, & exemplis, ex Virgilio, Horatio, Ovidio illustratis: transponenda bonorum carminum verba sunt postremis mensibus: & Poëtarum versus in ordinem redigendi. Hoc enim modo & praeceptorum usum adolescentes videbunt: & numerum Poëticum ab oratorio distinguent: & verba nova atq; phrases novas animadvertent: Quae omnia facilitatem simul cum voluptate ad stylum, & scribendi industriam, in superiori secum tribu adferent.

De Classe Secunda.

Caput II.

HAnc classem adolescentes cùm ingrediuntur: ante omnia meminisse praeceptor debet eorum quae antè perceperint: neq; pati ut memoriam horum deponant. Quamobrem quae didicerunt

cerunt in inferioribus ordinibus Grammaticæ præcepta, repetant: ut præcepta artis hujus nulla sint necessaria: quorum exemplis non abundent, & usum teneant. Dein, quæ à Magistro adduntur, ea addiscant: multa interpretentur: memoriter multa recitent: inprimis verò, quæ omnium putantur minima, hoc est, ipsa rerum vocabula non negligant. Hæc enim scire, magnam eruditionis partem esse, statuant.

II. Grammatica porrò græca eodem modo quo latina perficiatur: cujus primam institutionem ex classe tertia adferunt. Verùm non dictatis hîc multis adolescentes onerentur: sed exemplis locupletentur. Exempla enim præceptorum intelligentiam aperiunt: & memoriam renovant: & utilitatem declarant: & fastidium tollunt: & ad studium, curã, diligentiam excitant. Quamobrem & Etylomologiæ hic præcepta græcæ absolvantur: & regulæ præte-

rea

rea Syntaxeos addantur. In quibus, quoniam multa sunt cum Latinis communia, facilis est & cognitio & memoria.

III. Quia verò hæc classis robustioris jam ætatis est: ideoq́ exercitatos propè tyrones requirit, utpote, qui inde ex Quinta, quarta, & tertia classe, cognitionem præceptorum grammaticæ, eorumq́ exempla multa adferunt: sapientiæ hic illis & veritatis instrumentum, quod Dialectica dicitur, in manus tradi potest: & ex Philippi Melanthonis primum Erotematis, prædicabiliũ, uti vocantur, & prædicamentorum. Dein propositionum doctrina proponi: sed ita proponi: ne commentis longis onerentur adolescentes: sed in explanando expeditissima utilissimaq́ via ineatur. Quis enim eorum, in Scholis præsertim minoribus, laudare morem possit: qui non satis esse putant id solum explicare: quod est in scriptore, quem explicant: neq́ sufficere ex-

re exiſtimant, inchoatam ſæpè alicujus
rei cognitionem: ſed omnia uno in lo-
co docere conantur: & plerunq; aliena
adferunt: quò quàm diligentiſsimi &
quàm doctiſsimi eſſe videantur. Quam-
obrem, in his explicandis, hic ordo
commodiſsimus eſſe videtur: ut poſt
argumentum libri cujuſq; & partitio-
nem certa in capita diſtinguantur o-
mnia: Et primùm quidem loci cujuſq;
ſumma breviter indicetur: & quo ſin-
gula modo ab authore tradantur, oſten-
datur. Dein præcepta exemplis par-
tim fictis, partim veris, & ex iis autho-
ribus præſertim, qui proponuntur, de-
ſumptis, illuſtrentur. Ita enim explicari
præcepta debent: ut exercitatione ma-
gis, quàm præceptione, adoleſcentes
erudiantur. Itaq; eadem hora, qua
præcepta docentur: exempla ab adoleſ-
centibus ipſis adferentur: quibus uten-
di modus demonſtretur: & rectà diſpu-
tandi ratio doceatur. Et quoniam
ῥητορικὴ ἀντίστροφός ἐστι τῇ διαλεκτικῇ, ut A-
riſto-

riſtoteles loquitur: comes huic illa adjungatur: & ex ſecundo Philippi libro ad figuras Grammaticas Rhetorum apponantur ornamenta: hoc eſt, Tropi & Schemata: eaq́ explanentur præceptione modica: ſed exemplis illuſtribus: iis maximè, quæ vel ante ex Cicerone, Virgilio, Terentio, memoriæ mandarunt: quâm ad hunc locum aſcenderunt: vel, quæ ex Poëtis, & iis qui in hac claſſe explicantur græcis latinisq́ ſcriptoribus ſint petita.

IIII. Orationes Ciceronis interpretando & reſolvendo percurrantur: idq́ vel ſecundum cauſarum fiat genera: vel delectus præceptori & diſcipulis concedatur. In reſolvendis verò oratorum & poëtarum ſcriptis: iſta nobis methodus videtur utiliſsima: ut ante quidem totius explicationem orationis, argumentum primùm breviter præmittatur; dein genus cauſæ & ſtatus, ejusq́ loci præcipui oſtendantur: tùm dicendi genus nominetur; poſtremò orationis

partes indicentur. In ſingularum verò partium explicatione,' poſt ſummam cujuſq; loci brevem: iuxta officii oratorii partes, primùm ex Inventionis doctrina, ſi quæ uſurpantur, argumenta inquirantur: dein Collocatio ſeu Diſpoſitio partium oſtendatur: & quis ſit uſus loci in imitando perpendatur. Tùm in Elocutione, Tropi & Schemata verborum & ſententiarum præcipua annotentur. Quartò ſententiæ & loci, ſi qui ſunt, communes enumerentur: Poſtremò verba atq; phraſes examinentur atq; explicentur: ut ita ab exemplis multis adoleſcentes inſtructi ſint: quibus præcepta trium præſtantiſsimarum artium, Grammaticæ dico Dialecticæ, & Rhetoricæ, dilucidiora evadant. Et quoniã, quod nomen inter græcos Philoſophos Plato, id inter Latinos oratores Cicero eſt conſecutus: ut non modò Orator clariſsimus, verumetiam philoſophus ſapientiſsimus habeatur. Orationibus ejuſdem Dia-

logi

logi Philoſophici breviores, & ſcripto-res alii latini & græci, cùm Poëtæ túm oratores, & hiſtorici libri addentur: eademq́ in his enodandis, quantum quidem res quæq́ ferre poteſt, ratio ſervabitur. His ſocius adjungi Teren-tius poterit, & honeſtiores Plauti fabu-læ. Qui duo autores ut familiares a-doleſcentibus fiant, & domeſtici idem hic modus retineri poterit: quem in Claſſe tertia ſervandum diximus: ut inter decurias ſingulas Comœdiæ ſin-gulæ diſtribuantur. Irrepent enim res crebris actionibus in mentes adoleſ-centum: atq́ ita irrepent: ut mole ſua ingenia non fatigent, vel opprimant; ſed excitent potius & confirment. Sunt tamen in his quædam: quæ notare po-tius pueri, quam imitari debent: niſi in re ſimili: aut cum fieri poteſt decorè: id quod eſt à præceptore monendum.

Stylus quoq; hoc in ordine non intermittatur: Sed diligentia majori a-cuatur. Itaq́ præſtantiora hîc quàm in inferio-

inferioribus curijs tententur: & non solùm scriptione, verùm etiam æmulatione contendatur. Sed Magister adsit, qui moneat: qui excitet: qui adjuvet: ut adolescentem conari non pudeat: quod efficere Præceptorem non piget. Quamobrem duo illa, de quibus in tertia classe diximus, retineri exercitiorum genera poterunt: sed in pluribus & membris & periodis. Non enim hîc Epistolæ semper breviores, sed integræ Ciceronis argumentationes proponi debent: quas vel simili in materia exprimant: vel in patrium sermonem reducant. Et his duobus generibus aliqua ex parte stylo iam confirmato, tertium addi poterit: quo poëtarum nexa ligataq; oratio, cum libera atq; soluta oratorum commutetur: atq; ita cùm verborum copia paretur: tùm discrimen inter Poëticum & Oratorium dicendi genus ostendatur. Distinguenda enim diligentissimè Poëtica verba ab

oratorijs sunt: nihilq; pueris tanquam oratorium permittendum: nisi quod vel ipsi in Cicerone legerint: vel à præceptore tanquam probatum acceperint. Præterea cùm in tertia Classe fundamẽta jaciantur poëtices: & syllabarum tradantur tempora atq; moræ: & orationum modi & carminum genera: poëtarum quoq; versus in ordinem redigãtur: ijsdem manentibus verbis, sed eorundem disturbata serie: eadem hîc quoq; ratio continuabitur & consumabitur. Posteaquam verò in hac ratione confirmati nonnihil fuerint: ipsi scribere aliquid incipient: à breviori carminum genere initio facto. Sed molesta principio scribendi hæc consuetudo est: & poëtarum oratio eò plus difficultatis habet: quod verbis quidem quàm oratorum est liberior: numeris tamen & continuatione verborum astrictior. Itaq; in carminibus faciendis sublevanda puerorum est industria: & sen-

tentiæ

tentiæ quidem liberæ, sed & breves & omnes proponendæ: ut harum inventione opus non habeant: sed in verborum tantùm investigatione & connexione laborent.

VI. Sextò. Primus & postremus septimanæ dies Deo dicandus est. Itaq; diebus profestis, Examinis Philippi locos explicatione brevi illustrari audiant. Addetur Evangelicæ historiæ, quæ in templo diebus festis, & dominicis prælegi solet, particula: ex qua & ad linguæ Græcæ cognitionem, & ad mentis perfectionem educati adolescentes queant.

VII Postremò. Ne quid horum omnium, quæ audiverunt, amittant: quod boni patresfamilias in custodienda pecunia facere solent: idem diligentes discipuli in scientia retinenda facient. Vt enim illi ollas habent, quibus à parsimonia nomen imposuerunt Germani: in easq; quæ unciatim comparsêre, col-

ligunt: ut mox depromere possint. Sic adolescentes sua habebunt diaria: tanquam diligentiæ testes & memoriæ custodes: quæ, quid adepti sint ipsi industria, & magistrorum diligentia, indicent: & quid addendum porro sit, præmonstrent. Quæ quidem Diaria, horrea quædam literatæ agriculturæ, Præceptor noster, Ioannes Sturmius, vir erudiendæ Iuventuti natus, appellare solebat: tantiq; ea faciebat: ut cætera omnia pro nihilo propè esse duceret: & nisi summa cura in Ephemeridibus custodiendis esset, actum omnino de copia & puritate sermonis Latini putaret. Et sanè quemadmodum si horrea desint & granaria, inanis aratio, vana sementis, infructuosa messis esse solet: ita etiam nisi custodia accedat & congestio eorum, quæ aut audivimus: aut ipsi legimus: omnis in legendo & audiendo opera perditur: cum fluxa sit & labilis hominum memoria: ideoq; scriptura

iuvetur

iuvetur necesse habeat. Vox enim audita perit: littera scripta manet. Hos igitur libros deponere de manibus praeceptor non sinet: animaduertens in illos grauiter: qui in his conservandis negligentes deprehenduntur. Sed quo pacto instituendi sint illi: demonstrari pueris brevius, quàm explicari hoc in loco potest. Et exstant hac de re Ioannis Sturmij, Melchioris Iunij, Ioannis Ludovici Havenreuteri, & Ioannis Bentij Praeceptorum nostrorum sententiae: Clarissimorum virorum Calculis approbatae. Caput illud est: ut tria habeant Diariorum volumina: in quorum unum quicquid elegans formularum aut verborum in oratoribus, aliisq; puris Scriptoribus vel audiverunt, vel legerunt, congerant. Verùm non secundum literarum, sed naturae ordinem disponant: Et in unũ locum comportent, quae cognata sunt, & significatione conveniunt. Quae quidem ratio

tio & magis doctis probatur, quàm Alphabeti illa series, & commoditatem in se longè maiorem continet: propterea quod in scribendo verborum varietatem & copiam simul oculis habere expositam, et ex unius investigatione, ad cætera, quæ eiusdem generis sunt omnia, pervenire possumus. Certi igitur ad hanc rem comparandi loci erunt: & ita comparandi: ut & intelligi ab adolescentibus & comprehendi memoria facilè queant. In his locis, quæ eiusdem sunt classis vocabula, sic distribuenda: ut primum locum simplicia, secundum coniuncta, tertium Epitheta, quartum actiones & passiones seu verba activa & passiva, quæ de simplicibus illis & coniunctis prædicantur, obtineant. Porrò hæc eo collocanda ordine: quem natura rerum gerendarum postulat: ut quemadmodum primum unumquodque in agendo, aut inter medium, aut extremum esse solet:

Ita

Ita hic, quoad eius fieri ab hac ætate potest, collocatum deprehendatur. Id quod in digerendis Stephani Doleti phrasibus, idem ille D. Ioannes Ludovicus Havenreuterus, quem honoris causa modò nominavi, præstitit. Et hoc volumen, quia verba & phrases selectiores continet, λεξικὸν appellari poterit. Alterum τεχνολογικὸν seu παραδειγματικὸν erit: in quo exempla varia eorũ quæ in Dialecticis & Rhetoricis audiverunt præceptorũ colligent. Quod commodissimè fiet: Si in quaq; arte ordinem, quo illa tradita est, observent. Inprimis verò locorum Dialecticorum, & Troporum & Schematum exemplis, abundare eos velim: ut habeant, quod imitentur: & quò orationem suam vestiant: Et ἐν ταῖς συζητήσεσι, ut Græci dicunt, exemplis decertent, figurarum in sententijs: conversionum in verbis: argumentorum, in ratiocinationibus. Tertium volumen ἐπιστημονικὸν

ſeu Philoſophicum erit: quod locos continebit communes ſcientiarum & artium: ex quibus adoleſcentes, quoties opus eſt, ſententias & floſculos ſumere poßint philoſophicos: ne orationem ſaltem verbis ornatam, verumetiam ſententijs & rebus ſapientem proferant. Quod quidem ijſdem ferè titulis & locis quibus primum illud perfici poteſt. Modus autem hic erit: ut non ſemper integræ exſcribantur ſententiæ, id enim temporis nimis multum flagitat: ſed uno atque altero verbo locus attingatur: & liber authoris unâ cum capite & folio annotetur.

De Claſſe Prima ſeu ſumma.

Caput VI.

Reſtat Claßis prima & ſumma: ad quam deducendus adoleſcens eſt: cum præſtare hæc omnia, quæ requirimu(s)

mus, mediocriter poterit: In hac Classe primùm, quod Dialecticæ & Rhetoricæ fundamentis deest, consũmabitur: non quidem perfectè; sed Philippi Melanthonis via & institutione. Adjungenda igitur hic, quæ in Tertio libro Philippus de Argumentatione ejusq; speciebus, & in Quarto, de locis, tàm Dialecticis quàm Sophisticis tradidit: & utiliter adolescentibus explicanda. Vtiliter cum dico, de adolescentum utilitate loquor: non de Præceptoris gloria: qui tum demum docebit optimè: cum quàm plurima discent discipuli: & temporis ratio summa habebitur: & omnis superflua prolixitas vitabitur: illudq; Horatij servabitur: Quicquid præcipies esto brevis. Brevitas autem illa non Verborum & sententiarum numero, sed intellectu æstimanda est. Nihil enim nimis est breve: quod satis est intellectum: ut nihil nimis longum: quod nondum satis cognitum. Videndum

dum ergò ut unà cum brevitate perſpicuitas quoq; retineatur: ſemperq; cum re & viribus ingeniorum deliberetur. Hærere enim & quaſi habitare uno in loco diu, & ex quovis, quod aiunt, ligno Mercurium facere velle, inceptum eſt. Feſtinare verò nimium, fatigat ſenſus: & memoriam adoleſcentum conturbat. Medium itaq; tenendum eſt: neq; plus proponendum, quam ingenia ferre: neq; diutius immorandum: quam res, quæ ad cognoſcendum exponitur, requirere videatur. Quamobrem eadem hîc, quæ in ſecunda claſſe oſtenſa ratio fuit, obſervetur: tum verò præterea, ubi eadem illa in fontibus Ariſtotelicis tradantur, indicetur ſaltem, non explicetur: &, ſi quæ diverſa videbuntur, aut controverſa concilientur breviter & diſſolvantur. Sed tamen, ubi utile videtur, Ariſtotelis definitiones, præſertim breviores, Philippi deſcriptionibus adjungantur:

jungantur: idq; non verbis latinis, sed Græcis. Cujus rei hæ utilitates erunt: quod & tenacius memoriæ Græca quam Latina inhærebunt: Et nativa Verborum potestas retinebitur: nec translatio minus commoda adolescentum linguam corrumpet. Deniq; cùm ad Aristotelis aliquando organum deducentur: non in novam orbis terræ regionem demigrasse, sed in sua sede remansisse adolescentes putabunt. Cognita disciplina inveniendorum argumentorum, & ratione judicandi benè percepta: præcepta quoq; de Demonstratione ab Aristotele tradita, sunt cognoscenda: Propterea quod hæc præceptio plurimarum utilitatum causa expetenda videtur: quarum magnitudo excelsa erectaq; ingenia ad studium ejus ardens meritò incitare atque nflammare debebit. Neque enim existimandum est: cùm

exstent

exstent multa à multis, et quidem doctè copiosèque scripta Dialectica: quæ vel nulla vel pauca de Demonstrandi ratione præcepta complectantur: propterea minus esse illa utilia quàm reliqua: aut ad Geometriam solùm perdiscendam inventa. Sed contra potius statuendum: præcipuam hanc & præstantissimam Logicæ partem esse: maximèque ad intelligendum iudicandumque necessariam. Verùm constringere hæc oportet præcepta ex Aristotelis libris: & exemplis Philosophorum atque Theologorum illustrare. Sunt enim apud Aristotelem multa, quæ non tàm ad doctrinam artis, quàm ad præceptorum confirmationem & adversariorum refutationem pertinent: quæ hoc in loco omitti possunt. Non enim artis hîc probationem requirimus: sed explicationem eiusdem experimus: eamque non prolixam, operosam, obscuram: sed brevem, expeditam, facilem:

nostrisque

nostrisq; scholis conuenientem.

Idem in Rhetoricis explicandis præceptum esto. Sed Rhetoricæ præceptionibus partitiones Ciceronis aureolæ non incommodè copulari posse videntur: cum adolescentum id progressus postulabit. In quibus quæ de Oratoris vi, de oratione & quæstione fusè sunt & prolixè ab aliis dicendi magistris tradita; breviter quidem, sed dilucidè tamen Cicero proposuit: ut eruditè, purè, latinè, eleganter præcepta Rhetorica tradendi exemplum esse possint. Et hæc de præceptis dicta sufficiant.

II. Secundò: Vsus Dialecticorum & Rhetoricorum præceptorum: in Isocrate, Demosthene, Cicerone, Sallustio Cæsare ostendetur: Oratoribus Poëtæ addentur: ex Græcis Hesiodus, Pythagoras, Phocylides: ex Latinis, Virgilius inprimis, & Horatius, & Ovidius.

us: Sed in his Præceptor diſcipulorum juvetur induſtria: ut in ſcholas ſecum adferant, quod domi prius legerint, quod intelligant: cujus ſententiam totam aliis verbis, aliaq; lingua reddere poſsint. Cum enim celeritas in explicandis ſcriptoribus adhibenda ſit: in obſcuritate præire Præceptor debet. Vbi verò facilis locus eſt: ſæpe conducit, adoleſcentem ipſum, vel ad verbum interpretari: vel ſententiam liberè convertere, hoc eſt: vel explicare pluribus, vel coarctare. Quæ ratio celeritati maximè eſt accommodata. Neq; verò in hac claſſe puerilem illam interpretandi ad verba rationem tenere ſemper neceſſe eſt: Sed adoleſcentes ipſi verborum ambitus recitent: & interpretentur ſimili verborum ambitu, ſi queant, latinè: Si non queant, membratim ſingula membra Latina, Germanicis membris convertant.

In cæteris eadem, quæ in secunda Classe ratio fuit, servabitur: ut & argumentorum annotatio eorumque tractatio, & verborum atque sententiarum lumina cæteraque quæ necessaria sunt ad usum artium declarandum indicentur. Quæ verò præcipuè in his notanda, & in Ephemerides referenda, Præceptor significabit: & quo pacto in illis notari debeant, ut vulgata & in consuetudine posita à Poëticis & Historicis sint separata, cùm necessarium erit, demonstrabit. Idem enim adolescentibus Ephemeris est: quod diligenti patrifamilias arca pecuniaria, ut antè diximus. Ad recitationes quod attinet, idem quoque servabunt, hoc est, Ciceronis Orationes recitabunt: vel potiùs easdem, quas ille causas agent.

Et in

Et in his agendis speciem aliquam veri-tatis imitabuntur: lenitate, gravitate, hilaritate, dolore, lætitia, vociferatione: prout singulæ partes exigere, & deco-rum postulare videtur. Hujus con-suetudinis hæc erunt commoda: quod Ciceronem redivivùm quasi loquen-tem adolescentes audient: si non ea-dem voce, ætate, gestu: tamen illius verba audient; sententias illius cogno-scent: illiusq; periodis paulatim asue-scent. Taceo, quod hac ratione, unius horulæ actione, totus aliquis liber aut oratio cognoscitur: & in quo opere plurimum temporis Poëta vel Orator in componendo: vel Præceptor menses aliquot in explicando consumsit: id ij, qui audiunt totum, unius horæ spatio, & audienda voce recitantis, & ejus os, vultum, gestum, inspiciendo, conse-quuntur.

III. Tertiò, Quia singulas inter se Classes non solùm locis sed etiam ma-

teriis discriminatas esse volumus: & cùm quæque curia, ut superior est, ita etiam verborum copia & rerum atque sententiarum formulis locupletior existat: scribendi hîc consuetudo quàm in secunda classe sit perfectior: & judicium in corrigendis scriptis severiùs adhibeatur. Incipiet enim jam sese stylus forâs efferre: & omnium ordinum judicia exspectare. Itaque nihil non artificiosum adferatur: sive versus sint & poëmata: sivè soluta liberaque oratio. Singulis enim hebdomadibus, præter exercitia poëtica, quæ in Epigrammatis primùm brevioribus festivis, concinnis, argutis, pòst longioribus materiis institui poterunt: aut Germanicum latinè vertendum: aut thema latinum breve tractandum & amplificandum secundum præcepta Rhetorica, aut materiam græcè transferendam Præceptor proponet. Sed ita, ut adhuc non modo judicem se eorum quæ fiunt, sed etiam adiutorem esse statu-

at: ideoq; primas ipse lineas ducat: & suam illis & tractationem & versionem prælegat: & formulas Græcorum præcipuas indicet. Est enim ea rerum omnium natura & conditio: ut nihil citò magnum & perfectum existat. Nam & in certis vagari passibus pueros, priusquam certo pede figant humum cernimus: & Milonem Crotoniatam vitulum prius, quàm bovem gestasse verisimile videtur. Vbi igitur corroborati in his gradibus exercitiorum fuerint: ad declamatiunculas veniendum est: & materia quidem pluribus proponenda: sed tamen idonei ad recitandum tantum eligendi. Argumenta verò & hypotheses proponentur principio: quæ paucorũ dierũ moderatonem requirant: post quæ aliquot hebdodarum spacium flagitent. Nam prima exercitatio in problematis philosophicis facilioribus, maximè verò logicis, Ethicis, politicis, in poëtarum quoq; & historicorum orationi-

bus

bus, in ſententijs & γνώμαις tractan-
dis eſſe poterit: quas adoleſcentes ex-
plicent aut dilatent: laudent vel vitu-
perent: probent vel rejiciant. Paula-
tim ad majora progrediendum: & con-
ciones Prophetarum & Apoſtolorum
oratorio more dilatandæ: aut dicta
ſcripturæ brevia explicanda. Deniq;
tractanda omnia: quæ in oratione ſub
ſtyli acumen ſubeunt: & orationis cul-
tum convenienter ac honeſté recipi-
unt.

Et quia orationibus Ciceronis ad
verbũ ediſcendis adoleſcentes exerceri
volumus: perutile erit præſertim ex-
ercitatis jam, interpellationes Ciceronis
inſtituere: contrarias quoq; orationes
ſcribere: & argumenta ſua Ciceroni
opponere: reum facere Archiam, de-
fendere Catilinam, &c: Hæc enim
exercitatio & ad intelligendum & ad
judicandum conducit plurimum.
Neceſſe enim eſt: ut antè probè illam
orationem cognitam perſpectamq;

habeamus: quam refutare cupimus: Neq; tamen id præstare usq; adeò est difficile: cùm non nova invenire argumenta necesse habeamus: sed negare saltem opus sit, quæ Cicero affirmavit: aut affirmare, quæ negavit: idq; eodem quo ille fecit ordine. Sed in his omnibus Præceptor non modò judex, sed etiam adjutor esse debet, ut dixi. Itaq; ὑποθέσεων locos indicabit: & locorum præcipua argumenta: & eorum collocationes per singulas partes ostendet: ita tamen ne omnia præmasticet. Ignavum enim est nihil suopte, ut dicitur, Marte contendere. Et parum utilitatis adferunt scholæ: si secreta domi studia nulla instituantur.

4 Quartò. In Examine explicando eadem quæ in secunda classe ratio servabitur: nisi quod hîc plenius quædam cognoscere poterunt: quæ ibi nondum per ætatem capere potuerunt. Examini Epistola aliqua Pauli latinè interpretanda addetur: præsertim ea,

quam ad Romanos, Galatas, Titum, Timotheum ſcripſit: eaq; ita proponenda: ut & argumenta ipſa, & eorum tractationes, & verborum phraſin atq; ἔμφασιν adoleſcentes cognoſcant: & locos inſigniores memoriæ mandent.

5 Quintò. Ad συζητήσεις & diſputationes quod attinet, eaſq; quoq; retineri in hac claſſe placet, ſed alio quodam modo quam in cæteris inſtitutas. Etenim unus aliquis ſeorſim à reliquis collocabitur: isq; ſolus interrogabitur ab his, qui contrà diſſerunt: & ſolus tela argumentorum omnia, quæ cæteri jecerint, excipiet: & Dialecticæ ſubſidio, ſi poterit à ſe depellet. Si non poterit: loco tamen non excidet. Nam in magnis voluiſſe ſat eſt. Itaq; pudore ſuffundi, ſummum ſit hoc in certamine probrum. Hæc veró res quantas ſecum utilitates adferat, nulli non manifeſtum arbitror. Nam & ingenia plurimùm acuuntur: & in ſententijs

aliorum cùm excipiendis tùm explicandis, celeritas & dexteritas paratur: & judicium informatur: & deniq; Præceptorum veritas, quæ vel antè obscura erat, vel non satis intellecta, indagatur, illustratur, confirmatur. Neq; verò propterea hæc consuetudo rejicienda: quod parum perfecta & in hac ætate, & in schola hac nostra esse posit. Nam & balbutientes placere parentibus infantulos videmus: & incerti atq; vacillantes eosdem gressus delectant. Quod si veró ipsi omnibus mederi vulneribus nequeant: præsto Præceptor est, qui medicinam facere queat. Neq; enim vitio datum Teucro fuit cùm ad scutum Ajacis fugeret: & quæ ipse depellere tela non posset, alterius fortitudine averteret. Verùm enimverò metum & stuporem abesse ab huiusmodi disquisitione oportet: adesse contra alacritatem & reverentiam. Pudor enim subrusticus memoriam impedit: & non modò audita, verum etiam quæ

medi-

meditata scriptaq; habemus, tollit. Alacritas verò, multa sæpè subitò invenit: quæ etiam cum domi sumus in mentem nobis non veniunt. Reverentia deniq; Præceptoris, ut non nimium is qui respondet, ingenio suo præfidat, efficit. Et hæc de scribendi, declamandi, disputandiq; consuetudine dicta sufficiant.

6 Postremò. Quod in proxima curia suasimus: idem in hoc ordine retineri à discipulis & observari à præceptoribus volumus: ut Ephimerides & Diaria conserventur & locupletentur, quotidianis lectionibus, auscultationibus, scriptionibus. Præter enim eas, quas tùm recensuimus utilitates ejusmodi locorum communium collectio hoc efficit: ut ea quæ legimus: quæ audimus in scholis aut domi meditamur, et meliùs intelligātur, et altius animō infigantur: cum de futuro sollicit, diligenter ea colligamus: & tanquam thesaurum aliquem reponamus. Quid, quod voluptatem res hæc maximam

adfert? Ex qua constantia & cupiditas discendi nascitur. Vt enim bonus paterfamiliâs, cum thesauros suos quos collegit, intuetur, ad amplificandos eosdẽ incitatur: ita inspectione Ephemeridũ adolescẽs impellitur: ut, cũ quid desit, videt, semper aliquid adĳcere, & loculos omnes complere studeat: ne idem in titulis atq; indicibus suorum locorum deprehendatur id: quod in cauponis fieri frigidis solet: ubi insignia cerevisiam bonam, & tractationem lautam promittunt: cùm interim & cella sobria sit: & intus aut cibus nullus: aut rancidus saltem reperiatur.

Ex his arbitror satis constare: quomodo paulatim per omnes Classes exercitatio progressura: & quæ cujusq; ordinis propria, quæ communia: quoque modo inferiorum tribuum exercitationes protela superioribus sint futura. Hic igitur ordo si servabitur: & officium cùm Præceptores tùm discipuli facient. Spero nos eô rem perducturos:

ãuros: quo perduci cupimus: ut & discipuli fructus studiorum suorum uberiores percipiant: & Præceptores tanquam boni villici, quotidie augescentes, familiæ suæ opes videant: & ludi literarij inspectores, tanquam diligentes domini, totius agricolationis Scholasticæ rationes expeditas quotannis cognoscant.

De officijs discipulorum Leges Scholasticæ.

SCholarum à Christianis institutarum finis esse tripartitus solet: Primùs ut religionis, alter ut doctrinæ, tertius ut morum disciplina gravissima colatur. Et legum itaque nostrarum triplex scopus esto: Primùm vera religio, & erga Deum pietas: dein artium logicarum cognitio: tùm honestas morum, & in tota vita modestia.

De Religione & Pietate.

Caput I.

I.

RELigionis cupidi esse cùm omnes mortales, qui post hanc vitam vita volunt frui sempiterna: tùm vero maximè Scholastici debent: qui suo exemplo societatem aliquando communem adjuvare cogitant.

II.

Deum itaq; inprimis omnes colunto: eundem precibus suis & antè & post somnum invocanto, placanto, laudanto. A precibus, studia, prandia, cœnas incipiunto: precibus eadem finiunto.

III.

Nomen Dei ad imprecationes, exsecrationes, devotiones nemo usurpato: jusjurandum, seu verum seu falsum

dicendo,

dicendo nemo dato: nec alter alterum, nunquid auſit iurare, interrogato.

IV.

Inter ſcholaſtica porrò pietatis exercitia, præter lectiones ſacras, de quibus in claſſum deſignatione diximus, ſacris cantibus & precibus primas damus. Quater enim de die canendum eſt, & quater precandum: manè cum in Scholas ingrediendum: ante prandium cum domum diſcedendum: poſt prandium, cum ad ſcholas redeundum: ante cœnam cum finis ſit laboris ſcholaſtici.

V.

De cantu primo loco præcipimus: ut & ante & poſt prandium, priusquam in ſua quiſque curia docere Præceptor incipit, omnes Scholaſtici hymnum aliquem pium de auxilio Spiritus Sancti, vel cantilenam aliam loco & tempori congruentem, vocibus quidem diverſis, unanimi tamen corde decantent.

Eodem

VI.

Eodem modo manè & vesperi antequam domum, disceditur: Davidis Psalmos Latinos, elegante periphrasi à Georgio Buchanano explicatos & nuper varijs melodijs, pro varijs carminum generibus, opera & studio clarissimi Viri, Domini Nathanis Chytræi illustratos, alternatim è regione, duplicato ordine, συμφωνίᾳ Scholastici nostri per hebdomadam totam canant: linguæ mobilitate eadem: & spacijs ijsdem: non solum versuum & sententiarum, sed temporum etiam atque syllabarum: ut simul incipiant: simul progrediantur: simul consistant: moram verò tantam faciant: quæ neque fastidium pariat: neque intelligentiæ officiat: atque ita, præter veram pietatem & linguæ latinæ puritatem, præcipuas etiam carminum, maxime Lyricorum, dimensiones animo paulatim comprehendant.

VII.

Pſalmorum numerus, quos hebdomadibus ſingulis modulari oportet brevitate & prolixitate ſingulorum æſtimandus eſt. Opera tamen danda, ut ſemel iterumve quotannis in ſcholis noſtris canendo abſolvantur.

VIII.

In conclavi interiore, claſſes duæ ſunt, prima & ſecunda. Cantu itaq; finito, ordine preces à Rectore præſcriptas ſinguli ſeptimanis ſingulis recitanto: & quotidie Catechiſmi partem unam græce ſubnectunto: totumq; Catechiſmum ſeptimana tota abſolvunto.

IX.

In exteriore conclavi reliquæ claſſes ſunt. Quamobrem tertiæ claſsis tribulis, voce clara, precatiunculam ſua in Claſſe uſitatam pronunciato: Quartæ verò claſsis diſcipulus, integram Catechiſmi Latini partem ſubjungito.

fungito. Ad eundem modum, quintæ Curiæ, puer, usitatas preces vernacula lingua dicito; Sexti verò ordinis civis, Germanici Catechismi particulam subjicito.

X.

Cantus hosce & preces cùm antemeridianas tùm pomeridianas diligenter omnes frequentanto: quorum precari est, suo loco & tempore, preces dicunto. Et hoc primum pietatis exercitium esto.

XI.

Alterum religionis exercitium in Ecclesia & templo est: à quo non magis quam à schola sine graui causa & venia quisque abesto. Qui abfuerit aut serò venerit: in eum severè Præceptor animadvertito: neque ullam nisi gravissimam absentis causam accipito.

XII.

Diebus itaque festis & profestis, ad conciones sacras & preces audito campanæ sono tempestivè accedunto: absque

Psal.

Pſalmorum volumine aut teſtamento novo, grandiores ne ſunto: Eccleſiaſticis quoq; cantionibus deſtinatum libellum ad manus habento.

XIII.

E ſchola bini templa ordine verecundeq; adeunto; in chorum vel è choro præcipites ne proruunto: ſed ſine fabulis & compreſſionibus mutuis, cum adiuncto comite, & introeunto & exeunto. Quibus in ſchola conuenire non datur: in templo conſtituto tempore adſunto: nec ante finem ſacri, niſi venia impetrata, certam ob cauſam diſcedunto.

XIV.

Conrectorem, Cantorem, cœterosq; Collegas, qui choro præſunt moderando, diligenter præcinentes auſcultanto & adiuvanto: nec incipientes prævertunto: nec deſinentes, in longum producta voce æquanto: nec illis abſentibus vel etiam præſentibus, cantum abſq; iuſſu inchoanto.

X V.

Ad legenda quædam in templis canendavé qui diliguntur: cum laude illud ipsum uti præstent curanto.

X V I.

Omnes omnino, dum ceremoniæ peraguntur sacræ, silento: temporeq; illo quod cantum intercedit, vel taciti modestiq; assistunto: vel Catechismũ, Psalterium, aliosve libellos sacros legunto.

X V I I.

Ad Evangelij & Epistolæ recitationem assurgunto: non huc illuc oculos circumferunto: non de loco in locum obambulanto: Sed religiosè complicatis manibus versaq; ad aram facie auscultanto.

X V I I I.

Conciones sacras diligenter omnes audiunto: ad auditum nomen Iesu & Sacrosanctæ Trinitatis, caput detegunto; aut genu reverenter flectunto: non

confabulantor: non de loco pugnanto: non Præceptorum ſeu præſentium ſeu abſentium ſedes occupanto. Reverſi in ſcholam Magiſtro repoſcenti argumentum concionis, vel ſententias aliquot præcipuas, memoriter reddunto: domi concionem totam repetunto.

XIX.

Qui ætatis fuerint maturioris: non modò concionibus ſuo loco & tempore arrectis auribus interſunto: ſed & ſacroſanctam Domini menſam aliquoties quotannis cum reverentia piè digneq; accedunto.

XX.

Ad pietatis exercitia funerum quoq; deductiones referimus. Ad exequias igitur cohoneſtandas quotiescunq; conueniendum eſt, ſi univerſale illud, uti vocant, funus ſit, ſimul omnes prodeunto. Sin partiale: quotquot à Præceptore poſtulati fuerint, obediunto. Quod ſi feriæ forte ſint: in ſchola, ali-

sive loco designato, justo tempore conveniunto.

XXI.

Prodituri, classium ordinem insurgendo servanto: sine venia non vel absunto: vel à pompa sese subtrahunto: modestiam, decorum, silentium præstanto. In concentu pietatem præ sese-runto: & æquabilitatem servanto, inprimisq́ omnem populi offensionem cavento. Deniq́ ordine quo prodierant, vel ad Scolam redeunto: vel è cæmiterio demissi, domum sese modestè conferunto.

De studijs & exercitijs Classicis.

Caput II.

I.

TEmpus frequentandi scholam posthac illud esto. Quatuor diebus septima-

primanæ profeſtis: ante meridiem æſtate quidem à ſexta in nonam: hyeme à ſeptima in decimam: poſt meridiem: tàm hyeme quàm æſtate, à duodecima in quartam ſtudiorum cauſa conveniunto. Die vero Mercurij & Saturni, ante decimam nunquam egrediuntor. Iiſdem diebus, poſt meridiem, inferiores Claſſes ſemper: Superiores, cùm diſputationes: aut declamationes non habentur, à ſtudijs feriantor.

II.

Quoties igitur in ludum conveniendi tempus eſt: Scholas tempeſtivè, & modeſte, pexi & loti, calceis mundis: veſtituq; honeſtè compoſito adeunto: libris neceſſarijs inſtructi veniunto: eoſdem mundos integroſq; conſervanto.

III.

Ingreſsi ſcholam, ſuæ & ſtatim claſſi adjungunto: Et Decurione præſide, lectiones inter ſe ſuas repetunto:

Extra locum ſuum nullus ſine cauſa ſedeto. Quod ſi fortè contigerit: priuſquam tamen preces dicuntur, aut lectiones inchoantur, ſuum quiſq; locum occupato.

IV.

Qui ad horas conſtitutas non adeſt: niſi probabilem à parentibus atq; heris excuſationem adferat: aut per horam totam ſtare cogitor: aut humi à reliquis ſeparatus locator: aut virgarum verberatione emendator: aut alio modo & ratione bona corrigitor. Voluntatis enim id peccatum eſt: non ignoratione aut ingenij imbecillitate commiſſum.

V.

Quod ſi quem occupationes domeſticæ domi retinent: earum Rectorem Collegasq; cæteros certiores facito: & ſic, ut à ludo ſibi literario abeſſe liceat, impetrato. Quod ſi ipſe Præceptores convenire nequeat: per alium, ſchedâ miſſa, iuſtam abſentiæ cauſam pro-

ferto: de cujus veritate Præceptor inquirito.

V I.

Qui ſine Præceptorum voluntate domi manſerit: cum ad ſcholas redierit, niſi teſtem fide dignum, per quem excuſari queat, adduxerit: aut parentis heriuè teſtimonium attulerit: aut certè juſtam abſentiæ cauſamPræceptori probârit: modo & ratione bona caſtigator: magis ſi id bis in hebdomada fiat: maximè ſi ter idem admittatur: Qui excuſatione falſa uſus fuiſſe deprehenditur: ei pœna duplicator.

V I I.

Venientem Præceptorem aſſurgendo caputq; detegendo, reverenter omnes excipiunto: abeuntem eodem honore proſequuntor. Idem, cùm vir quiſpiam clarus & honoratus, inſpiciendæ ſcholæ gratia accedit receditvé, faciunto.

VIII.

Vestitu negligenter humeris circũ-jecto, laxóve et diffiuenti ne sedẽto: sub prælegendo nec cubitum libro, nec caput manu sustinento. Confabulationibus & susurrationibus docentem Præceptorem ne turbanto: sed summo silentio summaq; attentione auscultanto.

IX.

Absq; stylo & calamo, absq; Papyro & charta, discipulorum manus auriculave nunquam conspicitor. A Præceptore dictata studiosè & emendatè excipiunto. Quæ per absentiam fortè neglecta sunt: ea intra biduum proximum aut triduum instauranto.

X.

Suis singuli libris non alienis utuntor: suas singuli pennas, suam Chartam, suum atramentum in promptu habento: sua singuli custodiunto: ab alienis manus abstinento: inventa Domino restituunto.

Non

XI.

Non Rectori tantum, sed æqualiter omnibus Præceptoribus, summis mediis, infimis, omnes ut par est, obtemperanto: nec cujusquam horum authoritatem detrectanto: nec increpantibus responsanto: nec punientibus repugnanto.

XII.

Postulati ad reddendam eorum quæ didicerunt rationem: promptè quod jubentur faciunto: vel libellis ritè ad hoc compositis: vel iisdem, si quid de memoria sit reddendum, sepositis: voce leni non aspera: pronunciatione distincta, non confusa: Spiritu pleno non anhelato: Sono presso, æquabili, urbano: non vasto, aut hiulco, aut rustico utuntor: inprimis vero ultimam semper syllabam exprimunto.

XIII.

Ter nemo lectionẽ recitans impunè errato: Recitanti nẽo impunè quicquam

ad aurem insusurrato: nemo codicem inspiciendum præbeto.

XIV.

Ad repetitiones & disputationes parati meditatiq; accedunto: & in disputationibus facilitatem & modestiam præ se ferunto: clamores, iram, immodestiam fugiunto. Quod si disceptatio quædam oritur, ad arbitrium Præceptoris, tanquam oraculum quoddam, controversiam omnem deferunto.

XV.

Sermo omnium & cum omnibus, qui latina intelligunt, latinus esto. Qui sermone alio quàm latino utitur: qui barbaro, qui impudenti, qui impudico: pro peccati genere, ratione bona punitor. Durius, qui legem hanc vel ex petulantia convellit, vel præter sermonem patrium, impia, obscœna, blasphema profert, castigator.

XVI.

Facultate ſermonis latini ſi quis adhuc deſtituitur: & neceſſariò tamen condiſcipulis loqui cogitur: veniam prius ſermonis vernaculi petito. Idem in ſchola apud Rectorem cæterosq; præceptores obſervato.

XVII.

Conſvetudo hæc, ſuperioribus in curiis, magis retinetor: & lege confirmator: & ſeveritate conſervator.

XVIII.

Quamobrem, ut peccantes in hanc legem melius & deprehendi & reprehendi poſsint, bina in ſuperioribus claſſibus ſigna habentor: Sermonis unum, malorum morum alterum: Quorum illud in eos, qui germanicè loquuntur aut barbarè; hoc in eos, qui legem divinam, ſanctiones ſcholaſticas, totamq; morum honeſtatem violant, transfertor.

XIX.

Signa, ultra ſolis occaſum, nullus retineto: neq; ex odio ullàve animi perturbatione, ſed ob cauſas ſigno dignas transferto. Sermonem barbarum priuſquam ſignum transfert, ipſe corrigito: verba Germanica delinquentis, ne probatione deficiat, obſervato.

XX.

De cauſa translationis litem ſibi invicem non movento. Quod ſi lis aliqua aut controverſia oritur: non ſe quiſquam privatim vindicato: Sed ſe coram Rectore cæteriſq; Collegis invicem conveniunto: ipſi ab omni rixa, contentione, vindicta abſtinento.

XXI.

In hora, uti vocant, vacante: clamitando, jurgando, diſcurſando, & æſtate, poma, pyra, ſimiliaq; vorando diſciplinam ne turbanto. Sed ad rationem, de ijs quæ didicerunt, reddendam

dam sese præparanto: aut quod edis-cendum est propositum, decurioni re-citanto.

XXII.

Coitiones & consessus per vicinas Classes vitanto: condiscipulos studijs incumbentes non voce, non ambula-tione, non strepitu impediunto: ne-mini unquam pede, cubitòve, aut ulla re alia negotium facessunto.

XXIII.

Qui cæteros turbaverit, læserit, qui lectas & traditas res non repetiverit: qui aliena non præsentia egerit: qui in-terrogatus respondere non potuerit: qui cætera officia industrij adolescentis ne-glexerit, is pro errato, pro peccato, pro ingenio, pro ætate castigator. Et gra-vissima quidem in his morbis medici-na, virgarum, severitas, lenissima, ver-borum prudens remedium esto.

XXIIII.

Sordes corporis, priusquam in ludum veniant, domi expurganto: nec Scholaſticas operas hac de cauſa abrumpunto: Etſi verò tyrunculis aliquid largiendum ſit: grandiores tamen, non niſi cum verberibus, aut verbis ſaltem durioribus, dimittuntor.

XXV.

Dimiſsi ad opus naturæ, id quod catervatim fieri non debet, ad eum ſe locum, qui uſui huic à Senatu deſtinatus eſt, conferunto: & absqꝫ mora ad ſcholas redeunto.

XXVI.

Exacta hora, cùm cœtus ſcholaſtici ſit dimiſſio: abſqꝫ indecōra curſitatione mutuaqꝫ compreſſione exeunto: neqꝫ verò promiſcuè proruunto: ſed ſecundum ordinem claſsium & ſcamnorum ſurgunto: & modeſtè prodeunto: nec alteri claſsi facultas ſurgendi, niſi priori digreſſa, conceditor.

Egreſſi

XXVII.

Egreſsi ludo, pro foribus ſcholæ ne reſiſtunto: nec in foro, plateîs, cœmiterijs, luſitando ſpectandouè morã ullam trahunto: ſed modeſtè ſine clamore, ſine tumultu, ſine alicuius offenſione, confeſtim ſe omnes domum recipiunto.

XXVIII.

Qui eadem ſe via domum conferunt, à Coricæo obſervantor. In legem aliquam delinquentes, ad Præceptorem proximo in ſcholam reditu deferuntor.

XXIX.

Si qui ſtudiorum cauſa, digreſſis cæteris, in ſchola remanent: non illi per ſcamna diſcurſanto, aliumvè irritanto: aut dicto factove lædunto: ſed aliquid aut legunto, aut ſcribunto, aut repetunto.

XXX

Ferulas & virgas, tanquam res ſacras, niſi juſſus nemo attingito. Feneſtris,

ſtris, tabulis, pulpitis, cæteriſq; rebus ad ſcholam pertinentibus damnum nemo inferto. nec ſcamna incidito: nec parietes carbone, lapide miniato, creta aut quovis modo deformato. Qui ſecus fecerit, damnum quod dederit ut præſtet videto: & pœnam ſimul luito.

XXXI.

Domum reverſi, nihil eorum, quæ in Schola facta dictàve ſunt, niſi quæ fas eſt proferre, efferunto: nec quæ domi audiverunt, apud contribules effutiunto.

XXXII.

Lectiones in Schola traditas diligenter imprimis repetunto: mane ſurgunto: & otium & nocturnas lucubrationes fugiunto: paucis quoq; ſed probatis authoribus utuntor: & ſecundum Plinianum illud, non multa ſed multum legunto. Quod ediſcere juſsi fuerint, diligenter & accuratè ediſcunto: in ſcribendi quoq; exercitio multum operæ temporiſq; ponunto.

Scriptio

XXXIII.

Scriptio verò Claſsium noſtrarum triplex potiſsimum eſto: una Claſsis infimæ: in qua puer literarum figuras à ſcriba eleganti manu aſſueſcet ſcitè facere: qui hunc cœtum prope infantiæ in tertiam uſq; curiam comitabitur.

XXXIV.

Alterum ſcriptionis genus diariorum eſt & Ephemeridum: quarum in Claſsium deſignatione mentionem fecimus: Verborum ſcilicet & nominum, ſententiarum & authoritatum: exemplorum deniq; earum rerum, quæ in Grammaticis, Dialecticis, Rhetoricis Scholis præcipientur. Has itaq; Ephemerides, ubi domum venerint, diligenter complento: omniaq; quæ vel in Scholis audiverunt, vel privatim cognoverunt, ſuis domiciliis reponunto & diſtinguunto.

XXXV.

Tertium ſcribendi genus, ſtylus eſto: quem quotidie acui volumus: & indies magis magisq; ſplendeſcere: vel orationibus integris conficiendis: vel inſigni aliqua argumentatione, aut amplificatione tractanda: vel Epiſtola bene morata: vel odis & Epigrammatis lepidis ſcribendis: vel latinis in græca, vel græcis & Germanicis in latina convertendis, vel alio aliquo exercitij genere.

XXXVI.

Itaq; & his & in cæteris omnibus, quæ ad ſtylum exercendum inſtituta ſunt, diligentiam ſummam adhibento: ſua ſinguli ſcripta proprio, quod aiunt, Marte compoſita ſtato tempore exhibento: neq; alijs ſua danto: neq; aliena pro ſuis offerunto. Ad emendationem ſcriptorum ſedulò animum advertunto: emendata aliquoties relegunto: relecta in commentarijs ſuis eleganter depingunto: & Præceptoribus, quoties

es

es postulatur, & inspectoribus atque examinatoribus, quoties probatio à scholarum præfectis fit, repræsentanto.

XXXVII.

Si plura tribus vitijs enormibus exercitia habuerint, aut negligenter scripta fuerint, pro non compositis habentor. Qui huiusmodi attulerit: quod in acuendo stylo negligens fuit, virgarum stylis obijcitor.

XXXIIX.

Qui primæ classis lectiones audiunt: eorum quisque declamationem singulis semestribus componito: & cùm Rector jusserit publicè recitato. Qui laborem hunc subterfugerit, graviter pro arbitrio Rectoris punitor.

XXXIX.

Iidem, quoties de die vernaculæ linguæ aut malorum morum notam habuerint, nummum unum, de nocte quoties retinuerint nummos tres dependunto: & singulis sabbatis mulctas solvunto. Qui fraudem legi fecerit,

hoc eſt, cum potuerit notam non tranſtulerit: aut conſtituto die mulctam nō ſolverit: ei mulcta duplicator.

XL.

In cæteris ſi quid deliquerint: vel virgis, ut cæterarum Claſsium diſcipuli, corriguntor: vel carcere, pro Rectoris iudicio, puniuntor.

De moribus extra Scholam, cum domi tum foris, in plateis, cæteriſq; hominum congreſsibus.

Caput III.

I.

EXtra Scholas in plateis & cœtibus hominum, verecundè, & ut decet Scholaſticos verſantor. Nulli hominum, ne inimico quidem, obtrectanto: neminem probroſo nomine appellanto;

to: Sanna, corporisvè gestu neminem irridento: irritationes canum & morionum studiosè omnes cavento.

II.

Rixas, convitia, pugnas, omnemq; insolentiam quovis & loco & tempore publicè privatimq; vitanto: Discordias ne serunto: à factionibus abstinento: fraternam inter se plenam humanitatis ac pietatis voluntatem retinento.

III.

Malorum familiaritates & sodalitia prava cavento: nihil consuetudinis cum ijs qui studia non colunt habento: inprimis verò eorum congressus, qui vel ob peccata & delicta è Scholis ejecti fuerunt, vel aliàs mala cum gratia ex gymnasio discesserunt, aversantur.

IV.

Vera amanto: vera dicunto: mendacia cane pejus & angue fugiunto: li-

bellos famosos aliave scripta dictave scurrilia, sub gravi pœna, ne spargunto: multó minus affigunto.

V

Ministris Ecclesiæ, Senatoribus, Præceptoribus, aliisq; hominibus reverentia dignis, ut senibus, ut viris authoritate aut virtute præditis, matronis item & virginibus, ubivis locorum detecto capite honorem debitum exhibento: obviis factis de via decedunto: Sedentes prætereuntibus assurgunto: colloquentes genu modicè, uti decet, flectunto.

V I

Qui irreverenter hos omnes prætereunt: qui adversus Præceptores falsam ad parentes, cognatos, amicos, querelam deferunt: quia mœrorem mendaciis suis excitant: pro ætate & facinoris gravitate, aut virgis castigantor: aut modo alio bono severitatis emendantor.

VII.

In cœnis & prandijs, in omni congressu, sermo de rebus bonis, honestis, utilibus, idemq; pudicus, verecundus, liberalis esto. Et ne sermoni materies desit: Si plures uno in convictu sunt: alter alterum interrogationibus & responsionibus earum rerum quas Praeceptores eo die docuerunt, exerceto. Inprimis, rerum quae apponuntur vocabula, investiganto: eaq; à summo genere ad extrema membra distribuunto.

VIII.

Honestè unusquisq; vestitor: eaq; in re civium aliorumq; bonorum virorum consuetudinem & Scholae institutum colito, prodigiosè conscissas vestes nimisq; breves, militibus alijsq; relinquito.

IX.

Non libros quisquam emito: non vestes comparato: non pecuniam mu-

mutuo accipito: non dando, vendendo, permutando quicquam absq; parentum, Rectoris, Præceptorum, eorumq; quibus commissus est, consensu & voluntate alienato. Civis qui his vendet, qui pecuniam mutuò dabit, si Magistratus probaverit, suum repetere judicio licitum non esto. Quas ipsi inter se pueri permutationes aut venditiones instituunt, irritæ quoq; sunto. Gladiatoribus, saltatoribus, circulatoribus, cæterisq; præstigiatoribus, nisi Præceptorum permissu, nemo operam dato: gladios, pugiones, aliàve arma nemo gestato.

X.

Ad choreas & nuptias nulli, tametsi parentes ipsorum vocati sint, absq; venia Præceptorum accedunto. Ad suorum nuptias, quas recusare honestè non possunt, invitati: venia impetrata accedunto: & modestè sese gerunto nec saltando aut discursando convivis reliquis molesti sunto.

XI.

In cibo potuq; temperantiam omnem ſervanto: cauponas, tabernas, publicas, ſeu cereviſiarias, ſeu vinarias, ſimiliaq; loca, potandi cauſa ne intranto.

XII.

Peccantes invicem ſeſe admonento: ne dum vetant peccare cum poſſint, peccare jubeant. Admonitiones fraternas, qui contemnunt, aut non admittunt: eos Præceptoribus indicanto.

De Examinibus & ferijs: de Ludis item & Iocis.

Caput IV.

I.

VT & officium Præceptores in methodo præſcripta ſervanda faciant; & diſcipuli, quæ didicerunt, diligentius repetant; nemoq; vel ultra tempus in

inferiori Claſſe detineatur, vel ante id ipſum ad ſuperiorem provehatur: præter probationes quotidianas, bina quotannis ſolenniora, per omnes Claſſes, examina inſtituuntor, unum quidem ad Michaëlis feſtum autumnale: alterum ad Paſchătis, vernale: à quibus nemo niſi graviſsima de cauſa, ſub excluſionis pœna, ſeſe ſubducito.

II.

Examinibus hiſce non ſolum Eccleſiæ Præpoſitus cæteriq; urbis noſtræ Theologi, tanquam cenſores & Ephŏri, verumetiam duumviri ex Senatu delecti, tanquam teſtes & inſpectores, interſunto, præſunto, judicanto. Probatio verò in omnibus, quæ per ſemeſtre tempus explicata fuerunt, à Præceptoribus ipſis inſtituitor.

III.

Examine finito, Rectoris & Collegarum judicio: inſpectorum verò & ſcholarcharum comprobatione, qui

plus

plus cæteris in literarum ſtudijs profeciſſe: & quæ in unaquaq; requiruntur Claſſe præſtare potuiſſe videntur, ad ſuperiores ordines progrediuntor.

I V.

Qui principem locum virtute obtinuerint: ij publicè commendantor: præmijs quoq; ſi impetrari à Magiſtratu poterit, per Scholarchas ornantor. Eſt enim, ut ille inquit, divinum bonum honor: & ad præclarè agendum nihil magis quam honoris gloriæq; impellit cupiditas.

V

Qui eâdem in Claſſe manent, ad locum tamen altiorem evehuntur: ij ſequenti probatione partum honorem ne perdant, vidento: ſed ad novam laudem viam ſibi muniunto, qui poſtremi manent: ut ne rurſus vincantur ab ijs, qui ex inferiori ſuccedunt ordine, elaboranto: ſed pares eſſe doctioribus aut etiam antecellere ijſdem, nituntor.

VI.

Porrò cùm post longam aut magnam animi contentionem relaxatio sit necessaria: & vero decreto senatus & ministerii nuptiales cæteræq; à privatis hominibus impetratæ feriæ, sublatæ sint: præter vacationes à Scholis hebdomatarias: publicæ quædam eæque anniversariæ authoritate eiusdem conceduntor: ut biduum quidem aut triduum probationes Scholasticas, & dies proximus solenniora anni festa sequens: dies item Gregorii: & alii nonnulli politicis solennitatibus tributi. Quod si præter has extra ordinariæ quædam, non tamen nisi gravibus & necessariis prorsus de causis, inciderint feriæ: eæ Rectoris arbitrio permittuntor.

VII.

Verum ne ipso in ocio satietas oriatur & fastidium: varietate animus est recreandus: & inæqualitate reficiendus: ut facilia gravibus, lœta tristibus, nova veteri-

veteribus ſuccedant: & à lectione ad ſcriptionem, à ſcriptione ad collocutionem, à collocutione ad ludũ jocumq; deveniatur.

IIX.

Ludos itaq; permittimus: ſed honeſtos, liberales, & Scholaſticorum cùm ætati tùm conditioni convenientes.

IX.

Ludi verò hyberno tempore in Muſæis & ædibus convenientes ſunt: certamina Scholaſtica quæ verſibus fiunt: globuli item & latrunculi: æſtivi & campeſtres, pila & curſus. Sed in utriſq; modus eſt retinendus: ut ne quid contra honeſtatem fiat: nec ſupra vires.

X.

Muſica quoq; magis animis relaxandis, quàm corporibus exercendis eſt idonea: Etiam hanc concedimus, præſertim iis: quibus corporis exercitatio moleſta eſt.

XI.

Ludos prohibitos & illiberabiles eos vocãus: qui vel huic ætati nõ cõveniũt: vel

velcum periculo conjuncti ſunt, ut alea. Saltus, jaculatio, venatio, & æſtate natatio, hyeme per glaciales areas curſitatio.

XII.

Itaq; cum domi tum foris ab alea, chartis, teſſeris, alijſq; ſcholaſtico indignis ludis cavento. Venationes & aucupia ne exercento: columbas, lepores, aliâſve beſtiolas ne alunto.

XIII.

Templa, turres, aliaq; ædificia publica, & arbores ne conſcendunto: ab equis abſtinento: nec immodeſtum quicquam, temerarium: aut periculoſum aggrediuntor.

XIV.

Fragmenta lapidum nec intectum, nec domum aut hortum cujuſquam jaciunto. Neminem prorſus per ludum injuria contumeliâve afficiunto.

XV.

Æſtivo tempore aquam profluen-

tem,

tem, periculi causa, vitanto: rivos, stagna, mare, piscandi: natandi aut lavandi gratia ne intranto, Hyberno verò à glacie, carpentis, nivis conglomeratæ jactibus abstinento.

XVI.

Cæteris in ludis, concordiam inter se mutuam colunto: cum nemine præterquam cum commilitonibus ludunto: loca suspecta ne adeunto: nec ab aliis separantor: hortis etiam, pratis, agrisvè civium damnum nullum danto.

XVII.

Qui verbis inter ludendum litigāt: qui pugnis præliantur, aut quoquo modo dimicant: graves justasq; pœnas pro noxa pendunto. Authores discordiarum, quiq; vim alicui intentārint: carcere coërcentor: ni desierint, è discentium cœtu prorsus excluduntor.

XVIII.

Argentum in certamen ne deponunto.

nunto. Itaq; de pecunia seu modica seu multa, de libris, aut quacunq; re alia, quæ æstimari pecunia potest, ludere severè prohibitum esto.

XIX.

In via publica, ante ædium vestibula, & ubicunq; molesti civibus alijsve esse possunt: In cœmiterijs quoq; & templis nihil lusus fieri permittimus: quod ijs locis singularem deberi reverentiam arbitramur.

XX.

Sed & horas non dies ad hanc relaxationem permitti sibi, discipuli nostri cogitanto. Itaq; extra remissionis tempus lusiones omittunto: & ultra tēpus ludos ne protrahunto: vt ne ocium inde noxium, aut certè otij amor oriatur.

XXI.

Inter jocos, comœdias numeramus & tragædias, quæ singulæ cum absolutæ fuerint in Schola: agendæ vel

privatim vel publicè: si ita magistratui visum fuerit scholastico proponuntor: iisq; Germanicæ alicujus seu comædiæ seu Tragædiæ actio, in civium gratiam, interponitor.

De novitiis & peregrinis.

Caput V.

I.

IN Scholam nostram nemo, in quo non verecundiæ sit & diligentiæ indicium, admittitor: nemo, in quo idem non appareat, retinetor.

II.

Qui admissi fuerint, seu indigenæ sint illi: seu studiorum gratia aliunde venerint: Rectori nomina danto: eidemquè, legibus se Scholæ obtemperaturos: Collegis omnibus dicto audientes futuros: nec quicquam commissuros, quod vel adolescẽtes ingẽuos

dede-

dedecere: vel Scholæ maculam possit aspergere, promittunto.

III.

Pecuniam pro inscriptione debitam absq; mora persolvunto. Idem in minervalibus cæterisq; justo tempore solvendis faciunto. Quod si tenuioris parentes fortunæ fuerint: à pastoribus aut consulibus urbis nostræ paupertatis testimonium petunto: & sic immunes sunto: absq; eo pauper nemo admittitor.

IV.

Peregrinus porrò & advena, sine testimonio priorum Præceptorum aut aliorum fide dignorum hominum, in discentium cœtum ne recipitor: nisi & indolis liberalitas, & morum venustas suspicionem ab ipso falsam depellat.

V.

Idem ubi primum advenerit, si parentes, tutores, cognatos habuerit: hospitio per eos apud honestum civem con-

conducto, Rectorem ſtatim accedito: ſeq; illi probandum ſiſtito. Is profectu illius in ſtudijs cognito claſſem ei & decuriam certam aſſignato.

VI

Sin parentes aut tutores non habuerit: inſciente Rectore, hoſpitium ſibi non procurato: nec ſine eiusdem permiſſu ac voluntate illudipſum mutato. Apud intemperantem enim hoſpitem vivere, pernicioſum eſt: apud avarum detrimentoſum; utrumq; moribus noxium.

VII

Tam indigenæ quam advenæ, cùm recepti in militiam ſcholaſticam fuerint, pietate, diligentia, vitæ innocentia, miniſterij, Senatus, Præceptorum civium, benevolentiam ſibi conciliento.

IIX.

Advenæ tamen inprimis, hoſpites ſeſe eſſe cogitanto: quos inanes redire turpiſſimum ſit; dedecorantes &

authoritatem urbis & Magistrorum. Quare quantum conniti animo possunt quantum labore contendere, ita vivunto: ita literis operam navanto: ut sexto quoq; mense aut duodecimo: testimonium quod parentibus, cognatis, tutoribus mittere possint, obtineant.

I X.

Hospites, hospitasq; suas singuli observanto: & parentum instar coluntо: nullam eis molestiam strepitu, contumelia, aliàve ratione afferunto: damnum nullum danto: aut datum sine mora & tergiversatione sarciunto.

X.

Pecuniam in usus necessarios à parentibus datam missamvè, pomis, nucibus, placentis, similibusq; cupedijs ne insumunto.

X I.

Nemo alibi, quàm in suo & hospitio & cubiculo pernoctato: nemo alterius somnum turbato: ignem & candelas minimè negligenter habeto.

Postre-

XII.

Postremò omnes à schola nostra vicissim ad alia seu loca seu vitæ genera discessuri, Rectorem prius, cæterosq́ Collegas omnes compellanto: & sic animi grati fidelem memoriam declaranto.

De Pœdagogis, & Discipulis.

Caput VI.

I.

POedagogi munus nemo nisi præscio Rectore suscipito: nemo, nisi eodem conscio, suo se munere abdicato.

II.

Pœdagogi facti, authoritatem suam gravitate morum amplificanto: pueros fidei suæ commissos & domi & foris diligenter observanto: & in assiduo literarum studio ac morum honestate continento.

III.

Tempeſtivè eosdem manè excitanto: tempeſtivè veſperi ſomno traduncto: tempeſtivè in ſcholas & templa ducunto: nec ipſi quoquam, pueris in ſchola templove relictis, niſi mandatum id illis à Præceptore ſit, abeunto: ſed peractis utrobiq; peragendis, protinus domum reducunto: ibiq; prælectiones in ſchola habitas, concionesq; ſacras ab illis repetunto: nec quicquam ferè à pueris ediſcendum aut legendum, niſi quod in Schola traditum ſit, vel imperatum, vt memoriæ mandetur, relegatur, retineatur, exigunto. Nam, ut rectè viri judicant doctiſsimi: Præceptori in Schola lectiones ſuas proponenti, & Pœdagogo domi novas ſuper ingerenti, puer etiam ingenioſiſsimus & laborioſiſsimus nunquam ſatisfecerit.

IV.

In Schola ipſi in pueros nullo tempore animadvertunto: ſed ſi res id fieri poſtu-

poſtulet ad Præceptores rem deferunto. Domi quoq; delinquentes verbis non verberibus corriguntο: niſi adſint parentes: niſi conſcij ſint: niſi fieri idipſum velint. Reperiuntur enim, qui excarnificent pueros & crucient: animo obſequentes magis, quam puerorum ſaluti conſulentes.

V.

Qui legem hanc cæterasq; ſcholæ ſanctiones petulanter violaverint: quod Scholæ noſtræ multis nominibus obſint, non modo pœnas graves juſtasq; in Schola luunto: Sed pro delicti ratione hoſpitijs quoq; & urbe eijciuntor.

VI

Optima vero in diſciplina pueros continendi ratio eſt: ſi quod diſcipulos facere velint, Pœdagogi prius faciant: & exemplo bono illis præluceant. Exemplo enim præfectorum ſervantur: exemplo perduntur adoleſcentum ingenia.

VII.

Quamobrem, cum pueris fidei suæ commissis, tum verò familiæ toti industria sua præeunto: ipsosq; ad pietatem, diligentiam, morum honestatem & ordinem omnibus in rebus agendis assuefaciunto.

VIII.

Quod ut commodius facere possint: ipsi sæpius Præceptores de instituendi & in studijs versandi ratione consulunto: cum æqualibus quoq; de ijsdem communicanto: tempora vigiliæ, somni, studiorum, precum, repetitonum, prudenter distribuunto: & suo quæq; loco & tempore peragunto: maturè manè surgunto: & antelucana opificū opera industria sua vincunto: nullum deniq; tempus ociosum prætermittunto.

IX.

Rectorem, Præceptores, hospites, heros amanto, & honore debito prosequuntor: benevolè, libenter, alacriter

iiſdem obtemperanto: admonitiones eorum pias libenter audiunto: & æquo animo ferunto: Scholæq; diſciplinam exemplo ſemper juvanto.

X.

A Schola nunquam ſine hoſpitis præſcitu, aut Rectoris & Præceptorum permiſſu abſunto: nec divagantor: nec abnoctanto: nec profectiones quoquam ſuſcipiunto.

XI.

Ad prandium & cœnam tempore, quod herus definierit, eunto: nec domi nec foris helluantor: ebrietatem, Sympoſiaq; fugiunto: nec conventus alios & Scholaſticis & Pœdagogis indignos agunto.

XII.

Diſcipuli Pœdagogis privatis non ſecus ac parentibus & Præceptoribus obſecundanto. Qui ſecus fecerint: eorum à Pœdagogis ad Præceptorum aliquem nomina deferuntor: is pro peccati aut delicti ratione ſeverè in tales animadvertito.

Leges & Sanctiones

De Decurionibus,

Notatoribus, Coricæis.

Caput VII.

I.

PRæter ſigna, de quibus ſupra diximus, diſciplinæ & ordinis cauſa, ſingulis in Claſsibus, Decuriones, Notatores, Coricæi conſtituuntor.

II.

Communis his omnibus lex eſto: ut nihil eorum quæ ad ſuum ſpectant officium, prætermittant. Quod ſi officium in animadvertendo, & accuſando non faciant: à Præceptore virgis emendantor. Non enim vitioſi hi eſſe poſſunt: ut non condiſcipulos, vel exemplo offendant: vel in ſocietatem vitiorum pertrahant: vel diſciplinam Scholæ corrumpant.

Decu-

III.

Decuriones igitur ſingularum tri-buum, ante horam Gymnaſio primi adſunto: ſingulorum arma Scholaſti-ca, libros, chartam, atramentariũ cum theca pennaria, binisq́ in ea pennis, in-ſpiciunto.

IV.

Ediſcenda, declinanda, comparan-da, conjuganda, aliavè Claſsis cujusq́ exercitia præſcripta exigunto: abſenti-um ſeròq́ venientium rationem haben-to: neminem prorſus prætereunto. Et tardius quidem venientes horis ſingu-lis: emanentes prorſus, non horis tan-tum ſingulis, ſed per hebdomadam to-tam in Schedula conſcriptos ad diem Lunæ Præceptori examinandos tra-dunto.

V.

Decurio, ſi in Scholam venire ali-qua hora non poterit: tum qui ordine proximus eſt, illius munere fungitor: isq́ prodecurio appellatur.

V I.

Notatores, turbantes, ſigna ferentes, & in leges Scholaſticas delinquentes in ſua quiſq; Claſſe diligenter notãto. Ad nullius nequitiam, turpitudinem, inſolentiam connivento. Contra verò, innoxium neminem ex odio deferunto.

V I I.

Iidem, dum̃ ad templum itur, aut in funus proditur: clamantes, garriantes, extra ordinem divagantes, ſerò quoq; venientes, & inſolentes aſcribunto.

I I X.

Coricæi, in plateis, extra portas aliisq; in locis condiſcipulos obſervanto: immodeſtè ſeſe gerentes notanto: notatos Præceptori indicanto.

De Cuſtode, & Pauperibus.

Caput IIX.

I.

CVſtos Scholam manè tempore à Rectore conſtituto, aperito: eandem maturè veſperi clauditο: claves Rectori tradito: ignis & fornacum diligentem curam habeto: juſto tempore calefacito: Catalogos lectionum, virgas, bacillos, aliaq; inſtrumenta ad Scholaſticos uſus neceſſaria, cuſtodito: ſuoq; tempore depromito.

II.

Tabulæ, feneſtræ, Ianuæ, ſeræ, ſcamna, pulpita, aliaq; bona publica, ne quid detrimenti capiant, provideto: ideoq; ab omni jactu, ſaltu, curſu, pulſatione, concertatione, ſimiliq; petulantia pueros, ut abſtineant, moneto.

III.

Cæteris digreſsis, priuſquam Scholam claudat, ſcamna omnia diligenter circuito: & ſi forte quid relictum ſit, tollito: poſteroque die poſſeſſori

reſtituito. Hyeme verò, ſi quid candelæ forſan à pueris neglectum ſit, diligenter exſtinguito.

I V.

Quotidiè Rectorem mandata ad Scholam pertinentia accepturus, accedito. Pauperibus ut ritè peragant omnia, præſto.

V.

Pauperum munus illud eſto: Scholam & cœnobium totum munda conſervanto: & Scholam quidem ſingulis ſeptimanis bis, cœnobium & hortum additum ſemel purganto: ligna pro ſua quisq; parte æſtivo tempore maturè comportanto. Quæ mandata illis prætereà à Rectore cæterisq; Collegis fuerint, promptè expeditèq; faciunto.

De iis, qui Muſica victum quærunt.

Caput

Caput IX.

I.

QVi Muſica victum quærunt eorũ duo in Schola noſtra ſunt genera, unum eorum, qui figurato cantu utuntur: & hi Symphoniaci appellari poterunt: alterum eorum, qui choralem cantum exercent: quos Melicos appellare poſſumus: vulgò currentes & currendarios nuncupant.

II.

In utrolibet cantorum cœtu locum habere qui cupiunt: apud Rectorem prius nomina profitentor: nec quisquam, niſi aſsiduus idem ſit Scholaſticus, admittitor.

III.

Vtriſq; ut officio contineantur, mulcta certa conſtituitor: Et Symphoniacis quidem ſi ſero ad cantum veniant, ſolidus Lubecenſis unus, ſi prorſus non veniant, ſolidi tres detrahuntor,

tor: quod ſi frequenter delictum repetant: à Muſica prorſus excluduntor.

I V.

Currendarij verò ſi adſint tardius, tribus: ſi omnino non adſint, Sex nũmis Lubecenſibus cum portione panis debita mulctantor.

V.

Pecuniola ex mulctis collecta, inter eos qui officium faciundo cæteros ſuperarunt, diſtribuitor. Huic rei Catalogus, cujus utriuſque Muſices præfectus curam geret, ſervito.

V I.

Symphoniaci ergo, quotieſcunque conveniendum eſt, diebus ſolis & interdum etiam feſtis conveniunto: oppidumque totum perluſtranto: & pietate ac modeſtia ad liberalitatem civium animos invitanto.

V I I.

Quod ſi numero multi ſunt: hyberno præſertim & pluviali tempore, ut

eò celerius propositum iter absolvant, in choros duos dividuntor.

IIX.

Ad nuptias & convivia cantus gratia à Præceptoribus postulati, vel à viris bene de Ecclesia Scholaq; meritis, accersiti: non cibo sese potuq; obruunto: non ludendo aut saltando maculam ullam, vel suæ famæ vel Scholæ nostræ inurunto: sed modestia favorem sibi tam convivarum, quàm convivatorum concilianto: & ante tœdium discedunto.

IX.

Non etiam magno nimis numero, sed delectu habito, bini aut terni singularum vocum præsides accedunto: pecunia tamen in commune confertor: & suo tempore, præsente senatu Scholastico, ex æquo & bono distribuitor.

X.

Duo (si res ita postulat) præsides, unus morum, alter fisci constitu-
untor:

cantor: quorum ille mores cantorum malos observet & indicet: hic verò pecuniam inspicientibus cæteris accipiat, & cantu finito Conrectori tradat: quòd si exigua canentium multitudo sit: unus utroq; munere fungitor: cæterosq; diebus Mercurij, ut canendo sese exerceant, convocandi potestatem habeto.

XI.

Qui præsidi seu præfecto morem non gesserit: is apud Rectorem, Conrectorem, Cantorem accusator: & ab illis pro ratione contumaciæ castigator. Et obœdientes quidem delictumq; agnoscentes, pro delicti tum qualitate tum quantitate ratione bona vel severitatis vel gravitatis emendantor: Refractarij vero & rebelles: tanquam Scholæ pestes, & debita portione privantor; & è Schola prorsus exterminantor.

XII.

Pecunia collecta, prout visum Senatui Scholastico fuerit, singulis vel tri-

mestribus vel semestribus dividitor: Divisioni Collegæ omnes, cum Ecclesiæ ministro, intersunto.

XIII.

Ipsa verò partitio proportione Geometrica instituitor ita quidem, ut præsides, si diligenter muneri præsint: assem cum munusculo quodam extra ordinario accipiant: qui hospitia aut parentes non habent: aut ex eleemosyna vivunt, aut perfectius canunt: assem vel deuncem, qui hospitia commoda aut parentes superstites eosq; ditiores habent, dodrantem vel bessem: qui imperfectiùs canunt semissem aut quincuncem accipiant. Porrò prout officium quisq; & in Schola & in templo fecerit: ita ad summam illi accedito; vel de eadem decedito.

XIV.

Poterunt illi, qui hospitia nondum nacti sunt, partem aliquam ad usus necessarios ante distributionis tempus pe-

tere: vel pignore, si postuletur, dato; vel notatione accepti deposita.

XV.

Verum ne liberalitate civium abutantur: ad rationem expensorum, & ad ea quæ emerunt monstranda Rectori vel Conrectori tenentor.

XVI.

Eodem modo currendarij, constitutis septimanæ diebus, è Schola bini modestè procedunto: nec cantum boatu clamorève rustico confundunto: sed æqualem in canendo tenorem servanto.

XVII.

Panis collectus statim cantu finito per præsides: pecunia vero singulis annis aut semestribus, per Collegas, Ecclesiæ ministro præsente, ita distribuitor: ut eorum, qui sunt maximè egeni & in studijs maximè assidui, potissima ratio habeatur.

XIIX.

Ecclesiæ ministri ad liberalitatem cives

ves hortantor: Magistratus, stelliones, Scurras, Volaterranos, ut ita dicam, Scholasticos aliaq; Catharmata, quibus & Scholæ & studia sunt contemtui, per ministrum publicum à mendicando arcento.

XIX.

Qui legibus his refragati fuerint, aut Musicam moribus deformarint: à Musica primò excluduntor: pôst pro ratione delicti è Schola eijciuntor.

Conclusio legum, & appendicula.

Caput X.

1.

LEges hæ omnes, & probationibus habitis, convocatis Collegis omnibus discipulis in Schola prælegunntor: & singulis post trimestribus repetuntor. Quæ verò ad Præceptores eorumq; officium leges pertinent:

eæ in privato illorum conventu recitantor.


II.

Nemo tamen à se amplius nihil requiri, quàm ut legibus præscripta officia præstet, existimato: cùm plura longè facienda sint: quæ legibus hisce includi nequeunt.

III.

Et his itaq; legibus omnes parento & cæteris quæ post doctrinæ, disciplinæ religionis ergo ferentur, obsecundato: & honestis ac pijs Præceptorum monitis, quæ veluti viva quædam lex sunt: non minus quàm scriptis legibus obtemperanto.





Index authorum, qui in Schola Flensburgensi hactenus explicati fuerunt: & deinceps quoque per vices, juvante Deo, explicabuntur.

Lectiones Classis sextæ, seu infimæ;

EDucatio puerilis: præter alphabetum, tàm latinum quàm germanicum, simplices Catechismi partes, & inflexiones Nominum atq; Verborum, addita interpretatione germanica, continens. Vnde docebuntur pueri literas cognoscere: Syllabas jungere, legere, scribere: nomina item declinare & comparare: verba verò conjugare memoriter: & ad imitationem Paradigmatum similia nomina & verba in commentarijs suis pingere.

Etymologiæ Præcepta faciliora &

majuſculis literis notata, ex Grammatica Philippi legenda: ſententiæ breves & faciles, quas legant & interpretentur majores, tabulæ aſcribendæ. Nomenclator Nathanis Chytræi latinoſaxonicus. Catechiſmus Lutheri Germanicus.

Lectiones Claſsis quintæ.

Etymologiæ præcepta generaliora, quæ legere in ſexta didicerunt, & regulæ absq; exceptionibus, ex Philippi Grammatica, tradendæ hic ſunt: & interpretandæ: & memoriæ infigendæ. Hiſce cognitis faciliores Syntaxeos regulæ inchoandæ.

Diſticha Catonis.

Neaniſci.

Epiſtolæ Selectæ Iohannis Sturmij.

Nomenclator Latinoſaxonicus.

Catechiſmus Lutheri latinus & Evangelia.

Lecti-

Lectiones Claſsis quartæ.

Etymologiæ præcepta pleniora unà cum exceptionibus: & Syntaxeos ſimplicis regulæ præcipuæ, ex Philippi Grammatica.

Epiſtolæ ſelectæ Sturmij.

Bucolica Virgilij.

Neaniſci Sturmij.

Nomenclator.

Catechiſmus Lutheri, unà cum dictis ſcripturæ inſignioribus: Pſalmis quoq; brevioribus.

Evangelia Dominicalia latina.

Lectiones Claſsis tertiæ.

Etymologiæ, Syntaxeos, Proſodiæ, Præcepta, omnimodo abſoluta, ex Philippi Melanchtonis Grammatica.

Epiſtolæ Ciceronis Selectæ à Sturmio.

Terentius & Horatij Odæ faciliores.

Elementa linguæ Græcæ, Argentinæ edita.

Examinis definitiones præcipuæ.

Evangelia dominicalia græcè legenda.

Lectiones secundæ Classis.

Grammatica Philippi Latina.

Ciceronis Dialogi de Amicitia & Senectute.

Epistolæ familiares ejusdem.

Poetæ ijdem, qui in prima.

Grammatica græca Scholæ Argentinensis.

Isocrates.

Dialecticæ Philippi libri duo priores.

Rhetoricæ ejusdem liber secundus.

Examinis Philippi Definitiones atque Divisiones præcipuæ.

Evangelia Dominicalia græcè.

Lectiones primæ Classis.

Grammatica Philippi latina.

Orationes Ciceronis & Officia.

Ejusdem Dialogi Philosophici breviores & paradoxa.

Cæsar & Sallustius.
Virgilius, Horatius, Ovidius.
Terentius, & Plautus.
Grammatica græca Scholæ Argentoratensis.
Orationes faciliores Isocratis & Demosthenis.
Hesiodus, Pythagoras, Phocylides.
Dialecticæ Philippi libri duo posteriores.
Rhetoricæ ejusdem liber primus.
Partitiones Ciceronis Oratoriæ.
Examinis Philippi Loci: & Augustanæ confessionis, cum ijsdem ad finem cujusq́ loci collatio.
Epistola Pauli ad Romanos, Galatas, Corinthios, Titum, Timotheum.

Preces & Cantus singularum *Classium.*

Psalmodijs & precibus, operæ Scho-

Scholaſticæ ſemper inchoantur & finiuntur. Quod officium quater fit quotidiè: manè cùm Scholas pueri adeunt: ante prandium, cùm domum diſcedunt: poſt prandium: cùm ad Scholas redeunt: ante cœnam, cùm finis fit laboris Scholaſtici.

Precatio ſuperiorum Claſsium matutina.

Gratias agimus tibi, Pater cœleſtis, & Domine Deus: quod adeo clementer & paterne nos ſervaſti, per hanc noctem: oramus te: doceas & regas nos hodiè: ut juſsis tuis in omnibus obſequamur: actionesq; noſtræ cũctæ, referantur ad nominis tui gloriam: & ad proximi noſtri ſalutem. Sis quoq; propitius: guberna

berna

berna, fove & conserva Regem nostrum, Principes, & Magistratus: & omnes eos, qui nos docent, Item parentes, fratres, sorores, amicos & omnes homines per Iesum Christum Dominum nostrum, Amen.

Precatio inferiorum Classium matutina.

Here Gott Hemmelsche Vader / wy seggen di ewig loff vnde danck / dat du vns disse nacht / vor allen schaden so Vederlick hefft behödet / vnde bidden dy / lehre vns dissen dach dhon dinen willen / behöde vnde regere vns / dat alle vnsere lhare / dhon vnde laten / di tho dinem prise / tho beteringe vnses Negesten / dënen möge. Sy ock gnedich / beware vnsen Köning / Försten / Auerherren / Lehrer / Vader

der

der/Moder / Broeder / Süstere/ vnde alle Minschen dorch dinen leuen Soen vnsen HEren Jhesum Christum / Amen.

Precatio ſuperiorum Claßium Meridiana.

Quia nos opus manuum tuarum, Deus omnipotens, ratione præditos & bonis artibus inſtructos eſſe voluiſti: rogamus te: augeas in nobis Spiritum tuum Sanctum & rectum: ut ingenium, quod dediſti, feliciter excolamus: & ea ſemper perdiſcamus: quæ faciunt ad illuſtrandam nominis tui gloriam: & ad procurandam proximorum noſtrorũ ſalutem: per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum, Amẽ.

Precatio Inferiorum Claßium Meridiana.

HEre

HEre Gott Hemmelsche Vader / dewile du vns Minschen vornünfftige Creature geschapē hefft/ de iummertho / wat gudes lehren/ vnde dhon schölen/ so mehre in vns dinen hilligen Geist/ dat wy dinen willen vth dinem worde recht erkennen lehren / dinen Namen hillich vnd grodt macken / vnsem Negesten tho sinem heil / di tho dinerrehren deenen mögen/dorch vnsen HEren Jesum Christum / Amen.

Precatio Claßium superiorum Vespertina: cùm exitur è ludo.

Gratias agimus tibi, Pater cœlestis: cùm pro alijs infinitis tuis beneficijs: tùm verò pro doctrinæ munere. Fac obſecro: ut piè feliciterq; in eo curſu progrediamur: atq; aptiores evadamus indies magis magisque: ad Eccle-

ſiæ

siæ tuæ & Reipub. utilitatem promovendam: per Iesum Christum Dominum nostrum, Amen.

Precatio inferiorum Claßium Vespertina.

HEre Gott Hemmelsche Vader / wy seggen dy ewig loff vnd danck / vor dine dåre gaue der lehre / giff vns in der sülmigen ock hillich vnde wol / vorth tho farende / dat wy jummer / van dage tho dage geschickeder werden / vnde vnsem Negesten tho synem heil / di tho dinen ehren denen mögen / dorch vnsen HEren Jesum Christum / Amen.

Formulis hisce precandi singulis diebus, singulas Catechismi partes subiiciuntur: in duabus

bus quidem Claßibus superiori-
bus græcè: in duabus interme-
diis latinè: in inferiori-
bus duabus germa-
nicè.



